






IL PORT









XL
PORT. in
Loc. S. Script.

DIPLVRANOLOGIA

Qua duo Sacræ Scripturæ miracula, de regressu Solis tempore Ezechiæ, & immobilitate Luminarium sub Iosuè declarantur

ab

EMMANVELE PORTO
Rabbino.

Ad Illustriss.m & Reuerendiss.m Dominum

D. RVBERTVM PAPAFAVAM ABBATEM.





PATAVII, Typis Sebastiani Sardi. MDCXLIII.
Superiorum Permissu.

Illustriss. & Reuerendiss. Domino

D. RVBERTO PAPAFAVÆ ABBATI

EMMANVEL PORTVS.



Idus clarissimum, ac maximum, publicam mundi lucem, naturæ opus singulare non ad Thiestæas epulas in ortus reuolutum, aut Herculis natalibus diem impendens, aut demum Tyranni nece ferrugine obnuptum, sed citra mendacis Græciæ commenta ad aegri Regis supremas preces flexis habenis retro actum, iterum imperiosi ducis mandato defixum, & in ipsa mundi orbita veluti sufflaminatũ, quum breui dissertatione cõplexus essem, id opus merito tibi inscripsi, cuius natales virtusq; præfulgens, tanti sideris nitidissimam imaginem proxime referebat. Diu quidem regnatrix domus tua fulgore suo minores ignes occultauit, & cum reliqua sidera sinu suo Thetis reciperet, gentile plaustrum sublimi in arce poli diu Oceani expers fuit: donec Sole Leonem ac Libram complexo sub Venetæ mansuetudinis cuncta refouentis tutela mitissime conquiesceret. Nec tu degeneres tanta fortuna spiritus traxisti: ingenij cultus priuato maior: Phebæa laurus tertio Penatibus

tibus inducta: linguarum peritia non ad ostentationem parata: omnis sacræ ac prophanæ disciplinæ interior cognitio: forma, reliquusq; paratus dignus Imperio; mores seculi labem supergressi, candidi, illustres ac veluti sereno Cælo nusquam fæx, aut nubes. Plura adderem si contra tueri fas eßet, nec laudum fulgor mortalium luminum aciem hebetaret. Saltem vota concipere liceat non defuturam patriæ, ac domui lucem decusq; purpurascens, donec Sol magnum annum circunuoluuetur, statasq; vices, ac mundi meatus implebit. Vale.

Patauij Cal. Maij MDCXLIII.

AD


LABARVM
IVDÆ
G.G.

AD LECTOREM.

LIberalibus ingeniis dum pro meo modulo sanct. linguæ siderumq; scientia erudiendis operam nauo, quorundam curiositati ut satisfieret, meam de miraculoso Luminarium statu opinionem in pauca contuli. Augustissimo Imperatori FERDINANDO III. eam Etrusco idiomate quũ obtulissem, quod vnicè in votis erat, Clarissimi etiã in Germania Viri sẽtentiã, & dubia impetraui. Inde factum, ut labore iterato Auditoribus meis gratificaturus Disputationem Hebræo sermone scriptam cũ paucis hactenus cõmunem voluerim. Cujus laboris si non alium sanè percepissem fructum, hunc saltem gratissimum arbitrarer, quod eo applausu fuerit exceptus, ut ab Eruditiss. Laurentio Dalnaky Transylvano Latinam consuetudinem, simulq; ad Hebreæ Linguæ studia exhortationem, promeruerit. Hanc, unaq; ad grauiores Viri Reuerendi oppositiones meam responsionem, plurimorum consilio liberiori iam luci committo, tuæq; Humanissime Lector benignitati, ut exiles conatus nostros utilitati publicæ dicatos ad maiora excites.

Errata majoris momenti ſic emendentur.

Pagina	Linea	Errata	Correcta
18	4	faſultates	facultates
24	26	uanas	uarias
29	23	ibit	iuit
25	17	gradibus per quos deſcenderat menſuram ſeu durationem redijſſe.	gradibus quos deſcenderat innuere uidetur in eâdem, qua deſcenderat, menſura ſeu duratione redijſſe.
33	13	ſurum	ſurus
37	14	poterant	habeant
40	21	conuerſra	controuerſia
43	9	addictam	adductam
50	9	abſolueret 24.	abſolueret 23.
54	18	aſtera	altera
57	29	reddebat	redderet
58	12	Bepalgù de maia	Bepalgùd Semaid
62	16	eſt deniq;	deniq; ex
65	22	Aeſſem	Gheſsem
66	18	ſuparatim	ſeparatim

למרי ספר , ידבר הספר . אל האדון הסר והמספר

מי —— ערוך אלי ולא שומח
מכל מחוברים אשר חוברו
בקרא עליהם שם ובו נהדרו
גדול , כמו עלי , להשתבח ?

באיך במשפחתו כאור נורה
מאז בקציני עם ועוז אזרו
כל ה— תבונות בו באר חפרו
חכמות ובל דעה בטעם ריח :

אליו שלחני אנוש בן עבר
בנחוא להתכבד , והנה שבח
גם לי לכבוד רב בכל אר עבר :

ובכן לרובירטו , ופפאפאבה
לפני מדוש כסאו בכל בית חבר
קמה אלומתי וגם נצבה :

R. LEO MVTINENSIS.

Εἰς τὸν ἐκλαμπρότατον, καὶ αἰδεσιμώτατον Κύριον. Ῥοβέρτον ἀββᾶν τὸν Παπαφάβαν, ἀξιώτατον τῆς φιλοσοφίας, τῆς νομικῆς, καὶ τῆς Θεολογίας διδάσκαλον, ἄνδρα παντοδαποῦς ἐπιστήμης ἀνάμεσον.

Ἐπίγραμμα.

Πίτρου τοῦ ῥαμύλου

φοῖβος ἰοῖς φαίνουσιν ὅλον περὶ κόσμον ἑλίσσων,
κίνησιν θνητοῖς, καὶ βίον ἐκπορίει.
καὶ σὺ τεῶν ἀκτῖσι βίον πορσεῖς ἀρετάων,
καὶ γάνος εὐχάρμως τοῖς σε παρερχομένοις.
πάντες θαμβαλέοντες ὅμως φοῖβον ὀλυμπῷ
σ᾽ ἄντα. τίς ἐν θαμβεῖ Παπαφάβαν ὁρόων.

In opus
EMMANVELIS PORTI
De Regressu Solis.

Seu sistit retrahitq; polo sua lumina Titan,
Siue per insolitas itq; reditq; vias,
Prodigiosa olim magni miracula mundi
Orbis Idumeus uidit & obstupuit.
Hæc pius Emmanuel sacri speculator Olympi
Discutit, & sensus elicit inde pios.
Ad numeros reuocans vitalia tempora Regum,
Et quo sors hominum stetue cadatue gradu:
Quæ fortuna minor, quæ maior dirigat annos,
Quæ perimit, quæ fert stella salutis opem.
Hoc opus auctorem quærentem in funere vitam
Funeris expertem tempus in omne facit
Teq; adeo, cui iure dicat Papafaua laborem,
Quo non è prælo doctior ire queat.
Iure tibi Papafaua dicat, qui stemmate claro
Diceris Euganei splendor amorq; soli.
Portentum ingenij, patriæ virtutis imago,
Et qui doctrinam nobilitate beas.
Hoc opus ingenij, culti tua numina poscit,
Sat genij & vitæ, si tuearis, habet.
Sed metus omnis abest ab acutæ vulnere linguæ,
Quà liber est doctus, quà Papafaua fauet.

Scipio à Grandemonte.

AD AVTOREM.

Cui reliqui numeris noti radioq; Planetæ,
Solis an ignotum, PORTE, putemus iter?
Ipse retrocedens certo dum limite solus
Hæsit, ab insueto vertice signa dedit.
Sic tamen hæc pandis calamo miracula cæli,
Ut sua naturæ sit quoq; certa fides.
Dignum opus Herois genio, qui numine dextro
Flammeolas nitido spectet in axe rotas.

Ioannes Rhodius.

In Eruditum PORTI opus.

Sol stetit, & mediis firmans vestigia signis
Consuluit dubiis partibus ante Ducis.
Reddiderat Phoebo nullus miracula, PORTVS
Jam solus partes deficientis agit.
Dum redit & fixo Titan dilabitur ore,
PORTI fama, gradu non pereunte, volat.
Sit fauor in cælos precium, sit sideris instar
Qui currum doctâ reddidit arte Diis.

THOMAS BARTHOLINVS
Casp. F.

EPIGRAMMA.

NAtiui pertæsa soli tua dogmata, Porte,
Incipiunt Latias nunc habitare domos.
Quid factura boni? vastum diffusa per orbem
Eloquij spargent dulce fluentis opes.
Nimirum Hesperijs cunas experta tabellis
Dalnokius Latio commodat illa foro.

Præceptori suo benemerito
P.
Benedictus Arcosinus
Transiluano -- Ungarus.

STare doces Solem, cœli miracula narras,
Cuncta vel exemplo, vel ratione probas.
Ambiguos sensus valido certamine vibras.
PORTVS nempe Soli es, PORTA patensq́; Poli.
Nomine digna tuo tractas, dignissima sæclo,
Neue operi huic fautor dignior alter erat.

Idem.

CVr cedit medio retro Sol pulcherrimus orbe
Dum Rex lethiferum poscit abesse diem?
Regis ad exemplum totus componitur æther,
Astra retrocedunt Rege negante mori.

Idem.

LAV-



LAVRENTII N. DALNAKI

Transsyluano-Hungari ad Christianæ doctrinæ Studiosos Exhortatio.



Audamus omnes præclarum duodecim Hebrææ Reipub. ciuium facinus, communisque vtilitatis eos studiosos fuisse prædicamus: qui, dum populus Israeliticus iucundam frugumque feracissimam Cananæam occupaturus, in vicinis Arabum desertis commoraretur, eam consideratum profecti sunt: cùmque quadraginta diebus in id negotium insumptis ad suos redijssent, præcipuorum illius fructuum specimina secum detulerunt, vt eorum pulchritudine ac suauitate ad acquisitionem felicissimæ illius regionis, terræque bonis omnibus affluentis possessionem animos multitudinis erigerent. Ideo in ea semper versabar opinione, quòd nihil à nostræ etiam Reipub. literariç commodis alienum faceret; quia potiùs prudenter publicæ studiosorum vtilitati consuleret, si quispiam in amœnissimum nobilioris Palæstinæ Elysium ascenderet, atque eorum, quibus refertissimum est, fructuum aliquem decerperet, Christianæque iuuentuti gustandum proponeret. Vide-

bam enim potiorem eius partem in ipsis Arabum solitudinibus demorari : in arenosis Auicenæ, Auerrois & similium fundis colendis, Medicinæ, & Naturalis Philosophiæ studijs omnem operam diligentiamve defixisse. Placuit ergò mihi racemulum (vt ita dicam) hunc nectaris plenum, opusculum videlicet eruditione & voluptate refertum, à Torrente Botri, ex Hebræo antiquissimo linguarum omnium fonte in Latinum riuum traducerę, nostrisque adolescentibus studiosis delibandum offerre; vt eorum animos ad illius acquisitionem, fructuosissimum scilicet Hebraicæ linguæ studium, incitarem: atque ita communi vniuersitatis nostræ vtilitati, quantùm mea ferret tenuitas, consulerem. Nullum enim existimo à Deo immortali nobilius donum Hebraicâ linguâ humano generi concessum fuisse , nihil maius Christianæ Reipub. emolumentum afferre, nihil denique in vniuerso humaniorum literarum orbe concinnius accuratiorique diligentiâ esse atque artificio elaboratum.

Admiramur ea, ac singulari quodam honore prosequimur, in quibus aliqua maiorum nostrorum vestigia olfacimus , & quò aliquid antiquius est, aut præstantiorem sui auctorem sortitum est, eo maiorem apud nos dignitatem obtinuit. Lingua autem Hebraica in ipso nascentis mundi vestibulo à summo rerum Conditore efformata fuit, in ipsis primorum humani generis parentum labijs effloruit. Videmus enim præstantiores huius vniuersi partes, nobiliores eius proprietates hac lingua sibi nomina acquisiuisse : quæ in alijs à primæua illa virtute & insito pondere non parum deflectunt. Obseruamus Deum ipsum post primam linguarum diuisionem viros probitate & vitæ sanctimonia conspicuos hac lingua semper compellauisse : cuius rei vel ex nominum impositione, aut eorundem mutatione, manifestum argumentum colligitur.

Accipiamus quartum à primis parentibus hominem, nonne hîc in Hebraicâ linguâ appellationis suæ occasionem proprio nomine explicat? sic de eo Mosch scripsit in Genesi: *Et cognouit Adàm adhuc vxorem suam, & peperit filium, & vocauit nomen eius Seth: quia posuit mihi Deus semē alterū pro Hebel.* Dicitur ergo *sed* hoc nomine appellari, quia *sad* posuit: quæ duo vocabula non nisi punctis inter se distinguuntur. Hanc linguę Hebraicæ antiquitatem commendant tum nomina literarum, quæ cùm sint ferè eadem in omnibus cæteris linguis, in solâ Hebræâ alicuius rei significatiua esse deprehendimus: tùm maximè illud, quòd in eâ solâ inter omnes linguas nomen Mulieris à Viri tanquam suæ originis nomine deriuari reperiatur. Fateamur ergò, Hebraicam Linguam inter cæteras primatum quendam sibi vendicare, & in summo dignitatis fastigio collocandam esse, tùm propter hanc venerandam antiquitatem, tùm vero propter inexplicabilem primi Auctoris maiestatem: atque simul pudeat nos sacerdotium Regium, genus hominum electum, gentem diuinarum promissionum participem, in Ciceronis, Taciti, Aristotelis, Galeni, & aliorum id genus Ethnicorum libris lustrandis ita operam posuisse, vt nunquam ad hæc grauiora sanctioraque studiorum genera animos adijciant. Dicent fortassis illi, qui vtilitate omnia metiri volunt, honestum quidem Hebraicæ Linguæ studium esse; at non esse tanti momenti in Christianorum Republicâ, vt in cæterarum consortium assumatur, studiosæque iuuentutis laborem mercatur. Sed ipsi malè certè meo quidem iudicio philosophantur, honesta ab vtilibus separantes; peius autem de Hebraicæ linguæ vsu opinantur: Etenim quid aliud

magis seriò agendum nobis est, qui in hoc honestarum literarum otio viuimus, nisi vt quàm optimè nobis cognitus familiarisq; sit sanctus ille sermo, quo olim vsus ipse Deus est, cùm veteres Ecclesiæ suæ moderatores alloquio suo dignatus fuit, quem Deus sapientię suæ ornamentis decorauit, admirabili legum suarum & prophetiarum volumine insigniuit, memorabili operum suorum historia illustrauit. Approbamus omnes prudens illud Themistoclis consilium, quòd integrum annum Persicæ linguę cognitioni tribuendum decreuerit, vt absq; interprete cum Persarum Rege verba facere posset; Quomodo ergo nos vnicam horam in Hebrææ linguæ cognitionem impendere dedignamur, vt cum supremo Regum omnium Rege ac domino Deo nostro, præclarisq; illis totius humani generis luminibus ac ornamentis, sanctis Vatibus, Historicis, Regibus, absq; internuncijs colloquendi, viuas eorum voces, vernaculumue sermonem audiendi occasionem acquiramus? Negari deinde sine iniuria non potest, eos, qui peregrinarum rerum studio incumbunt, diligenti labore debere peregrinis etiam linguis operam nauare; cùm omnia doctrinarum genera plus vigoris, claritatis, plus dignitatis, venustatisq; contineant in genuino suo ac proprio idiomate, quàm in alieno; modò autem quis est ille nostrûm, qui in Sacram Scripturam, scientiarum omnium præstantissimam comparandam, qua Deus mortalibus nobis voluntatem suam patefacit, quæ veram Diuinarum rerum cognitionem profitetur, labores suos impendere nolit? Pythagoras ex Samo ad Ægyptios olim nauigauit, vt eorum Theologiam, ritus, moresq; cognosceret: inde in Cretam concessit, ibiq; Minois & Lycurgi leges didicit, vt tandem patriæ idoneus ciuis redderetur. Vt honores

in

in ciuili Repub. magistratusue petere possint, complures etiam nostra tempestate diuersas Europæ regiones, legumq; ciuilium Gymnasia (vt alias minoris momenti facultates taceam) perlustrant, & in iuridicorum institutiones consultaq; intelligenda omnes animi conatus ac ingenij vires destinant. Quid verò, si cum sacris literis in comparationem trahatur, Ægyptiorum Theologia merebitur? Illæ omnipotentis Dei verba sunt, Hæc Dæmoniorum commentum est: Illæ diuinos cultus, Hæc idolatriam moderatur: Illæ omnium liberalium disciplinarum summam amplectuntur, neq; est aliquod humanæ societatis ornamentum, quod earum limites excedere possit; Nam si Facundia quæritur, nullus Orator cùm Latinus, tùm Græcus, Mosèh Isaiâq; dictionum puritate & sententiarum grauitate facundior est; Nullus Poëta Dauide Ioboq; figuris & tropis in versu argutior; Nullus Historiographus Samuele fidelior. In eis naturalis Philosophia est, quia omnes omnium rerum causæ in Deo creatore sunt: Ethica, quoniam beata vita non aliunde formatur, quàm dum ea, quæ felicitatem conciliare possunt, diliguntur: Logica, quia veritas lumenq; animæ rationalis nonnisi Deus est: Medicina, quia iustitia Dei fons salutaris, esca spiritualis, benignumq; fidelibus emplastrum est. Theologia Ægyptiorum nil, nisi fœdas quasdam superstitiones & incerta futurorum auguria, complectebatur: ita vt meritò certè illius cultoribus quadrare illud Lucretianum possit: *O stultas hominum mentes ô pectora cæca!*

Qualibus in tenebris vitæ, quantisq; periclis
Degitur hoc aui quodcunq; est.

Quid verò à Lycurgo, Minoë, aut etiam, si placeret, Iustiniano prudentius vnquã vtiliusq; quàm à nostro sapien-

tiſſimo Legiſlatore ſtatutum fuit ? Equidem ſi ipſorum placita velimus cum accuratâ diligentiâ ponderare, non video quomodo ſolùm in trutinam cũ diuinis legibus deſcendere poſſint; ſunt enim illa ſolùm ingenijs hominum excogitata, & à pœnarum ſeueritate, quæ tempore plerũq; aut Dominantium ſocordiâ leniri poteſt, conſeruantur; nullam aliam niſi virtutis mortalis neceſſitatem imperant, temporanea præmia proponunt, &, in qua minimè animus conquieſcit, felicitatem pollicentur. Hæ autem æterni numinis ſtatuta ſunt, quibus nihil temporis diuturnitas, aut Judicum derogat facilitas: manent inuiolata, & cùm ſupplicia minuuntur aut ceſſant, terret tamen adhuc animos religio, & diuinæ maieſtatis reuerentia: hæ ad Sacra Myſteria inueſtiganda obligant., ad charitatis exercitia impellunt, ad pietatis opera ſolicitant: hæ æternos honores, immortalem vitam, præmia incomprehenſibilia promittunt: in his quicquid docetur, veritas, quicquid præcipitur, bonitas, quicquid promittitur, felicitas eſt ſine menſurâ. Quare qui rectæ conſcientiæ fiduciâ, atque morum ſanctitate integrum Politiæ Chriſtianæ, ſeu (vt rectiùs dicam) θεοκρατίας ſe ciues præſtare cupiunt, ad hanc cœleſtem ſcholam, vitalem eruditionem, veritatis auditorium, ad ſacroſanctam Theologiam accedant, & eius ſtudio diligentem operam ponant, neceſſe eſt. Cæterùm nemo ſine dubio in hoc glorioſo ſtudio cum laude decurret, niſi Hebraicam Linguam comitem ſibi adſciuerit. Quamuis verò extent hodie Latinæ quædam ex Hebræo idiomate ſacri codicis interpretationes; illæ tamen non ſunt tanti momenti, vt ob eas Linguæ Sanctæ ſtudium ab iis, qui Sacræ Scripturæ incumbunt, negligatur. Quanta enim eſt inter La-

tinos Interpretes varietas, & de genuino diuinarum literarum sensu contentio? quanta est inter Hebraicum fontem & Latinos riuulos diuersitas? maxima sanè est, & penè irreconciliabilis. Quorsum ergo in his se conuertentur illi, qui ad Hebraicam hanc, & primæuam veritatem recurrere nolunt? certè aut hærebunt in pice viscidâ tenebris inuoluti, donec omnia, oleum & operam perdant: ac veluti nauis, quæ prudenti caret gubernatore, contrarijsque impellitur fluctibus, facilè in scopulos impingit; ita isti salutari hac manuductione destituti diuersarumque opinionum procellis iactati hallucinabuntur, & tandem in extremam erroris perniciem incident. Profectò si aliquando penitius sacra volumina huius ordinis Theologi, qui Hebraicæ Linguę studium tantopere abominantur, introspexissent, occurrissent eis non pauca, ex quibus Hebræi sermonis vtilitatem, summamq; necessitatem didicissent. Vt enim taceam propriam quandam esse peculiaremque singularum linguarum naturam, vim, proprietatem, atque φράσιν, seu locutionem, quæ vt ab interpretibus pari perspicuitate, elegantiâ, & emphasi reddantur, fieri nullo modo potest. Illud confitendum omnino est, scripturam, cùm sit diuinorum mysteriorum sacrarium quoddam, adeo vberem fœcundamque esse, vt frequenter sub vnâ literâ multiplicem significationem inuoluat: tum propter tropos ac figurarum ornamenta: cum maximè quia plurimas habet voces ambiguas, & quę nonnunquam etiam contrarios sensus admittere possint; proindeq; fieri non posse, vt iuxta suam perfectionem & integritatem in alios sermones transferatur, sed imperfectè quodammodo, & secundùm alteram duntaxat partem vt conuertatur necesse esse. At qui vtramq; significationem suam postulare interpreta-

pretationem, dubium nemini esse debet; cùm non casu, sed ex singulari Dei delectu atq; consilio eiusmodi diuersitas facta sit. Videmus etiam, quæ in primo fonte vnam claramq; habent sententiam, ea plerunq; ambiguè & obscurè legi in cæteris exemplaribus, vel quia vt aquæ fontium in riuos deriuatæ aliquid semper de limpitudine sua deperdunt: ita scriptura in alias linguas deducta non nunquam primæuam suam simplicitatem perspicuitatemq; amittit: vel quia illius linguæ, in quam transfertur, idioma antiquam dictionum vim structuramq; in eadem significatione admittere non potest. In his difficultatibus nullum tutiùs magisq; cõgruum habemus refugium, quàm sanctæ huius atq; primæuæ linguæ cognitionem, cuius beneficio manifestè voluntatem Dei intelligimus, perfectè germanum sacrorum librorum sensum assequimur, facilè aliorum errores animaduertimus. Sed neq; hoc silentio inuoluendum est: Scripturam veterem Latina aut quauis alia lingua exactè interpretari laboriosum, imò fortassis impossibile esse, non modò ob summam diuinæ sapientiæ profunditatem, sed etiam ob artificiosam Hebraicæ linguæ structuram, ob difficilem radicalium elementorum inuestigationem, ob seruilium (vt vocant) literarum diuersas significationes, quiescentium inuicem mutationes, ob Ethbas & alphabetarias illas reuolutiones, quibus litera literæ mutuò succedit, ob poëticos numeros, vocabulorum captiones, collusiones morum, ob varias punctorum mutationes, diuersas accentuum sedes, eorundemq; multiplicem varietatem &c. Cuius rei satis luculentum testimonium est hoc opusculum à me interpretatum, quod totum super vnico tantum accentu Grammatico fundatũm est: ita vt submoto hoc è suo situ, quem in scriptura obtinet, ne-

cesse

cesse sit continuò illud longè à sacri contextus sententia decedere etiam secundum eam partem, qua Theologicos continet discursus. Dices fortasis Hebræum codicem non peruenisse ad nos in illa antiqua integritate & puritate, in qua olim à sanctis Prophetis ac Historicis scriptus fuerat, sed in odium Christianę fidei corruptum à Masoreis alijsq; Rabbinis atq; deprauatum fuisse, ideoq; nullam ei autoritatem in Christianorum Repub. concedendam esse. Hæc opinio licet vulgaris iam sit & ferè ab omnibus recepta, probabilitatem tamen nullam habet. Primò quidem, quoniam omnes aliæ editiones ad Hebraicam tanquam lydium lapidem reducũtur, & earum deprauationes aut defectus ex primæua illius veritate emendantur. Vnde videntur mihi huius sententiæ auctores imprudenter, dum se Hebræos oppugnare credunt, Christianam fidem sugillare.

Præterea manifestum est scripturam ante aduentum Domini nostri corruptam non fuisse; non enim ille vnquam tàm insigne crimen tacere potuisset, neq; ad lectionem atq; inuestigationem illius sine præmonitione homines inuitasset. Sed neq; post eius aduentum id contigisse opinandum est; Videmus enim testimonia, quæ à Christo Domino, & eius Apostolis citantur, omnia ferè eodem modo hodie in veteri testamento extare: videmus præcipua vaticinia de Christo eodem modo legi in noua, & in veteri scriptura: imò ea, in quibus discrepant Hebręa à Grecis, ad fidem & religionem non multum afferre momenti: & certè credibile non est, Judæos voluisse suis codicibus veritatem eripere, vt nostris detraherent auctoritatem, maximè cum in ijs salutis suæ & felicitatis spem conseruent, eos tanto amore tanta prosequantur venera-

tione

tione; vt faciliùs omnia supplicia subeant, quàm in minimo legem Dei immutari patiantur: cùm, postquam rebus magnis & opulẽtis suis exciderunt, nihil aliud nisi sanctum hoc Dei testamentum pro consolationis fomite habeant. Quare cùm tanta sit Hebraicæ Linguæ inter cæteras eminentia, & non solùm admirabilia opera, salutaria pręcepta, profunda mysteria hac linguâ Deus patefieri, sed etiam sacratissimum illud suum Nomen omni intellectu humano atque interpretatione altius ex eâdem deduci voluerit: cùm tàm sit vtilis ac necessaria, vt scripturæ sacræ (in qua omnia nostra sunt collocata, in qua sola vnicuique vera salus & perfecta felicitas speranda est) absque eius beneficio genuinus sensus haberi non possit: cùm nulla sit earum linguarum, quarum cognitio ad hanc vsque ætatem deuenit, vel artificiosâ œconomiâ, structurâque celebrior, vel pronuntiationis integritate gratior, vel simplicium vocabulorum copiâ abundantior, vel significationum pondere grauior, vel puritate & dulcedine illustrior suauiorq; cùm denique ab exordio mundi in suâ primæuâ perfectione sarta tecta atque ab omnium temporum iniurijs vindicata vsque ad præsentem diem singulari Dei prouidentiâ religiosè conseruata sit; restat modò vt eam debitâ cum veneratione accipiamus, dignitatem eius agnoscamus, vtilitates admiremur iucundâ dulcedine, quæ animos mortalium insatiabili oblectatione deuincit, & titillatione quasi suauissimæ voluptatis afficit, inflammemur: ad eius studium mentes & cogitationes nostras conuertamus: ita in prophanorum Auctorum lectionibus occupemur, vt maiorem melioremque ætatis nostræ partem huius sanctæ linguæ studio consecremus: atque quantum temporis tribuunt alij inanibus Poetarum fabulis, quantum ampullatæ (vt sic

loqui liceat) piperatæque orationis structuræ, quantum illis rerum vmbris, quas secundarum (rectiùs fortasis dicerent nullarum) intentionum scientias appellant, quantum aleæ, comœdijs, cæterisque otiorum oblectamentis; tantum nobis ad acquirendam nobilissimæ huius linguæ cognitionem insumamus; vt ita Christianæ Reip. commodis consulamus: prestantiorem illam, lacteque, & melle dulciori liquore affluentem Palæstinam possideamus, & immarcessibilem studiorum nostrorum fructum percipiamus.





Electatus sum semper in enodandis difficilioribus locis Sacræ Scripturæ: diligentiùs tamen studium adhibui in expositione illius loci, in quo Deus Solem remeare iussit, vt Ezechiam Regem Iuda de suâ erga eum misericordiâ certiorem redderet. Cōtinet enim historiam memoriâ dignam, stupendumque miraculum. Habet prætereà aliquid de Motu Cœlesti, & rebus Astrologicis, quæ omnia considerationem merentur: etsi non hoc potissimum nomine quod scilicet Astrologicam materiam concernere videatur: imò persuasum habeto, me constellationibus nullam adhibere voluisse fidem, quin potiùs semper in eâ fuisse, esseque etiam nunc opinione, quòd si quam vim habent in homines, eos inclinare solùm possint, non etiam cogere: neque solùm in actionibus voluntatis, verùm in ipsâ quoque temperie, salubritate, sanitate, ægritudine, vitâ, morte, & similibus. Videmus enim quòd actiones humanæ non raro eludant constellationes. Obseruo etiam quod habet Ecclesiastes in penultimo versiculo: *Finis* (inquit ille) *verbi omnis auditus est: Deum time, & mandata eius custodi, quia hoc est omnis homo.* Locus autem, quem examinaturus sum, est in cap. 20. lib. 4. Regum v. 9. 10. & 11. In cuius declaratione, quia mea sententia erit diuersa ab opinionibus nostrorum Rabbinorum, ac cæterorum expositorum, priùs quàm ad institutum meum descendam, operæ pretium fore iudico verba textûs hîc apponere, præmissa eorum occasione.

Ægrotante itaque Rege Ezechiâ, accessit ad eum Propheta Isaias, in suâ infirmitate ipsum moriturum prænunciauit,

ciauit: quo audito Rex, compunctus corde, deuotis precibus Deum orauit, ne hoc consilium suum exequeretur, & fuit exauditus: vnde reuersus ad eum Propheta dixit hæc verba, *Ecce ego sanabo te: die tertio ascendes templum Domini, & addam diebus tuis xv. annos, & de manu Regis Assyriorum liberabo te, &c. Dixit autem Ezechias ad Isaiam: Quod est signum, quòd sanaturus sit Dominus me, & ascensurus sim in die tertio* Domum *Domini? Cui dixit Isaias. Hoc est tibi signum à Domino, quod facturus sit Dominus verbum, quod locutus est: Iuit vmbra decem gradibus, si reuertatur decem gradibus Et ait Exechias leue est vmbræ declinare decem gradibus: non quod reuertatur vmbra retrorsum decem gradibus.*

Arbitrantur plerique Isaiam Prophetam hîc proposuisse Regi duo signa prognostica, vt eorum alterum eligeret: huncque esse scripturæ sensum: Visne tu Ezechia vt vmbra progrediatur decem gradibus? an verò vt reuertatur totidem gradibus retrorsum? Ad quæ respondit Rex, facilè esse vmbram declinare decem gradibus, neque se hoc eligere: Verùm vt ipsa regrediatur decem gradibus: quod postea Rex etiam consecutus est.

Cæterùm hæc expositio patitur nonnullas difficultates. Prima in textu dicitur *Halach Hacel*, *Iuit vmbra* in præterito tempore, & non in futuro *Ielech Hacel Ibit vmbra*. Licèt autem in plerisque scripturæ locis accipiatur præteritum pro futuro; hic tamen eiusmodi enallage locum habere non potest: quandoquidem hanc figuram admittit Scriptura, quando indicare vult certitudinem rerum futurarum: vel tàm necessariò, ac infallibiliter, aut minarum, aut promissionum euentum successurum, ac si iam olim contigisset, quod in hoc textu non deprehendimus.

Imò potiùs declinatio vmbræ , quæ non est subsecuta, exprimitur in præterito , regressus autem , quem Deus præstiturus erat , verbo futuri temporis indicatur . Secunda. In alterâ parte versiculi inquit Propheta *si reuertetur vmbra decem gradibus*: quod si per modum interrogationis prolatum fuisset , vt auctores huius opinionis statuunt; vtique Propheta loco istorum verborum, *si reuertetur decem gradibus* , dicere debuisset, *an verò vt reuertatur decem gradibus*. Tertia . Quæ fuit causa, cur Regi faciliùs appareret declinare vmbram decem gradibus, motum eius ordinarium: quàm retrocedere eandem totidem gradibus? Non enim video quare alterum sit altero difficilius . Quarta. Cùm Ezechias hîc nihil aliud intenderit , nisi vt certus fieri posset de euentu promissionis factæ per Isaiam Prophetam, non multum referebat an hoc, an illo signo hoc assequeretur. Poterat enim vtroque indicio sufficienter Regi fides conciliari. Quinta. Accentus ille incisorum distinctiuus, quem Grammatici appellant *Zakèph Katòn*, obstat prædictæ sententiæ : est enim positus supra particulam *Ki* , vnde iuxtà hanc sententiam sensus verborum Regis erit iste *Facile est declinare vmbram decem gradibus, non quod*; & hîc sistendum erit ob prædictum accentum, antequam reliqua verba subiungantur , quare relinquetur summa durities, tum in sensu Scripturæ , tum in constructione Hebraicâ secundùm hanc expositionem.

Itaque existimo Prophetam hîc proponere Regi vnum duntaxat signum, hoc est regressum Solis, quem postea accidisse commemorat Historia : loquive in hunc sensum. *Iuit vmbra decem gradibus. signum erit si reuertetur decem gradibus*. Cui respondit Rex, nondum adhuc perfectè vmbram decem gradibus declinauisse , sed leue esse declinare, idest

re, id est parum deesse quin declinauerit decem gradibus; & quia dixerat Isaias, signum erit si reuertetur, ac si in dubium reuocâsset Solis regressum; ideo subiūgit Ezechias, *non sic*, quasi dicat, nolo hoc esse ambiguum: In linguâ enim Hebraicâ particula *Ki*, quam dixi accentu Grammatico notari, habet quadruplicem significationem: hîc vsurpatur pro *sic* atque adeo sensus verborum Regis est hic: Tu Isaia regressum Solis confirmaturum sanitatis meæ recuperationem &c. proponis mihi cum dubio, dicendo, *si reuertetur vmbra decem gradibus*: at ego desidero, vt absque vllo signo ambiguitatis certo certiùs mihi promittas, Solem decem gradibus retrocessurum. Atque iuxta hanc meam explicationem nulla difficultas aut durities in scripturâ relinquitur, præter quam quod videatur Prophetam superfluè adiecisse illa verba: *Quòd facturus sit Dominus verbū, quod locutus est*, quæ poterat ommittere, ac dicere: hoc est tibi signum: iuit vmbra decem gradibus &c. Et quidem signum debebat esse super promissione iam facta. Sed respondetur facilè: quatuor enim erant promissa à Prophetâ Ezechiæ. Primum quòd Rex sanitati restitueretur. Secundum quod die tertio Domum Dei ascensurus esset. Tertium quod super dies vitæ eius xv. adhuc anni adijcerentur. Quartum denique ipsum è manu Regis Assyriorum liberatum iri. Quia ergo voluit signum tantùm super duabus primis promissionibus; ideo addit Propheta sequentia verba: *Hoc tibi signum à Domino, quòd facturus sit verbum, quod locutus est*: quasi velit dicere: signum hoc, quod Dominus exhibiturus est, non erit solum modò in confirmationem promissionis factæ circa sanitatis restitutionem, & visitationem Domûs Dei, quæ precibus tuis impetrauisti; verùm duobus etiam alijs beneficijs,

quæ iure Deus præter expectationem tuam conferet, te potiturum argumento erit.

Porrò antequàm accedam ad vberiorem huius loci declarationem, placet resoluere nonnulla dubia, quæ ex ipso erui possunt. Quæritur ergo Primo. An etiam Sol retrocesserit simul cum vmbrâ, an verò sola vmbra sine Sole? Siquidem vmbra per absolutam Dei potentiam poterat regredi procedente Sole motu suo diurno, ac regulari. Secundo si statuatur etiam Solem vnà cum vmbrâ remeâsse, quæri potest, num cæteri quoque orbes simili motu reuoluti fuerint; an verò ijs in motu ordinario perseuerantibus sphæra duntaxat Solis redierit? Tertio Quid intelligatur per gradus Achàz, & per decem gradus, quibus vmbram recurrisse dicitur? Quarto. Quo anni tempore, quoue die hoc miraculum contigerit? Quinto. An vmbræ regressus fuerit subitaneus, & quasi, vt ita dicam, instantaneus, an verò successiuus, & cum aliquâ morâ? & si dicatur fuisse successiuus, seu cum tempore, adhuc quæri potest de mensurâ illius durationis. Sexto. Qua hora diei eiusmodi regressus fuerit? Ad Primum dico etiam Solem vna cum vmbra conuersum fuisse, sicut clarissimè habet Isaias cap. 38. v. 8. Quare autem Propheta Isaias faciat mentionem etiam Solis, Historicus verò tantùm vmbræ; ratio est: quia ille voluit accuratè hoc miraculum describere, ne forte circa illud deciperemur, vmbram solam redijsse, opinantes: Hic autem accommodauit suam narrationem certis quibusdam circumstantijs, quæ tunc temporis Ezechiæ acciderant. Cum ergò ille morbo lethali teneretur, vt Historia testatur, valdè probabile est, eum non sub dio, quin immò in cubiculo aliquo super lectulo iacuisse, atque ita mutationem illam non in Sole, sed in solâ vmbrâ obseruauisse, &

ſe, & propterea ſcripturam non niſi vmbræ meminiſſe. Secundo, nos ſolemus obſeruare motum Solis ex vmbrâ, cùm eum continuè intueri non poſſimus: propterea apud Iſaiam facto iam regreſſu, dicitur Solem redijſſe; quia deprehenſus eſt motus ille inordinatus, poſteaquàm factus erat, in Sole. Cæterùm dum adhuc eiuſmodi motus erat in ſuo fluxu, in quo ſtatu refertur ab Hiſtorico, non percipiebatur, niſi mediante vmbrâ, & hac de cauſâ hîc vmbram tantùm reuerſam fuiſſe narrat ſcriptura. Confirmatur, quia licèt ponatur, hanc mutationem quaſi momento temporis contigiſſe; credendum tamen non eſt, homines vultus ſuos derepente in Solem conuertiſſe; ſed motum ſubitaneum animaduertendo in vmbrâ, poſtmodum oculos in cœlum eleuaſſe, & ſimilem mutationem etiam in Sole conſpexiſſe.

Ad Secundum dubium aduerſus opinionem Reu. Patris Georgij Scemberger, affirmantis totam cœleſtem machinam reuolutam fuiſſe ob ſummam cœlorum inter ſe harmoniam, dico, quòd in Orbe tantum Solis factus ſit motus hic inordinatus; reliqui verò Orbes ſuos curſus regulares continuauerint: aliàs Scriptura horum quoque mutationem retuliſſet. Confirmat hanc aſſertionem id quod in x. cap. Ioſuè v. 12. habetur. Legimus ibi Ioſue mandaſſe Soli atque Lunæ, vt non mouerentur, donec ipſe ab hoſtibus ſuis vltionem repeteret. Quòd ſi facta mutatione in vno, oporteret conſimilem fieri etiam in cæteris orbibus propter conſenſum eorum, aut aliam quamlibet ob cauſam; vtique ſatis erat Ioſue Soli dumtaxat quietem imperare, neq; requirebatur vt Lunæ quoque ſeorſim eandem præciperet, cum ad illius quietem hanc conſiſtere neceſſe fuiſſet. Credendum igitur eſt, quod Luna in ſuo curſu per-

rexiſſet

rexisset etiam immoto Sole, nisi ipsi quies separatim iniuncta fuisset. Ego credo, ipsum Iosue voluisse, vt durante prælio conseruaretur aspectus , qui tunc erat inter hos duos planetas, siue benignus ille esset, siue aduersus populo Israelitico : (vocabulo enim illo *Dòm* , quo vsus fuit Iosuè, immobilitas præcipiebatur) vt si faustus esset aspectus, milites maiori cum alacritate in conflictu perseuerarent: si autem contrarius, manifestum fore crederet Deum esse creatorem & Dominum cælorum, & posse eum contra illorum constellationes fidelibus suis auxilium præstare, eorumque conatus etiam astris reluctantibus promouere.

Ad Tertium Rex Achaz adinuenerat genus quoddam horologij, quod nobis non est modò cognitum : Existimo nihilominus fuisse horologium mobile, atque per distinctiones graduum illius obseruari potuisse motum, quem Sol singulis diebus perficere solet in ipsâ ecclypticâ: præterea beneficio eius cognitas fuisse horarum, vt sic dicam, extensiones, seu durationes, quæ illo tempore erant inæquales, hoc est modò breuiores, modò longiores secundùm breuitatem, vel longitudinem dierum: semper enim diuidebant arcum diurnum in duodecim partes æquales, quemadmodum etiam nocturnum: Illi autem gradus æquales non erant; sed quidam eorum maiores nostris, quidam minores, conformes singulis diebus proprio Solis motui. Ego in sequentibus calculis computabo gradus ad normã eorum, qui hodie in vsu sunt: quod facio, ne confundantur, qui in rebus Mathematicis non sunt exercitati. Erit tamen non magna diuersitas inter hos, & illos gradus, præsertim cum Sol tempore illius miraculi in Ariete extiterit, sicut inferiùs dicetur.

Ad

Ad Quartum respondeo, hoc signum accidisse duobus diebus ante Pascha, quod etiam scribit Rabbi Salamon, Rasi dictus, & Rabbi Dauid Chimchi in commẽto super citato loco IV. Regum. Id ipsum docent Rabbini antiqui in opere, quod *Medrassim* appellatur: ex quo colligitur, Solis sedem tunc fuisse Arietem.

Ad Quintum dico, regressum fuisse motu illo, quo iuxta naturæ ordinem rapitur Solis orbis à primo mobili: hunc tamen motum fuisse contrarium motui primi mobilis; quia Sol rediit prædictis decem gradibus secundum signorum ordinem, & ab occasu versus ortum. Loquendo verò de mensurâ huius regressûs, iuxta mensuram ordinariam temporis, XV. scilicet gradus æquatoris, constituentes vnam horam nostratẽ, dico ipsum durauisse circiter duas tertias vnius horæ; quia decem gradus ecclypticæ correspondent tanto tempori. Præterea dicendo scriptura vmbram fuisse reductam in gradibus, per quos descenderat, iam vero videtur in eadem gradus ascende-rat mensuram seu durationem rediisse.

Circa Sextum dico, hoc miraculum contigisse circa duas tertias primæ horæ pomeridianæ. Cùm enim dicatur in textu retrocessisse vmbram in gradibus, per quos descenderat, à Meridiano videlicet versus occasum & partem orbis descendentem, & præterea descendisse decem gradibus, sicut respondit Ezechias; manifestum relinquitur præfatum signum circa assignatum tempus accidisse.

His ita determinatis, dici potest miraculum istud factum fuisse, vt fidem faceret Regi circa omnes quatuor prædictas promissiones: quod iam probabo discurrendo circà singulas. Indicauit itaque primò sanitatis recuperationem, quia tunc Sol erat in parte cœli descendente, vt dictum

est: quo tempore morbi solent augeri, exacerbari, infirmosque molestiùs afficere. Deus autem in ascensum Solis declinationem commutando, reduxit eum versùs circulum Meridianum, atque adeo vitæ & incolumitatis domicilium, quo innuebatur status, vt vocant medici, conualescentiæ, & consequenter perfecta sanitas Regis.

Præmonstrauit Regem in templum Dei ascensurum: Sol siquidem declinauerat à Meridiano gradibus x. Debuit ergo intrare xxv. gradus Æquinoctialis, pertinentes ad nonam domum: de qua Astrologi scribunt, quòd homines sub eâ natos inclinet ad fidem, & actus religiosos: hinc contra suum debitum cursum ascendit versùs Meridianum circulum, partem cœli editiorem, quo adumbratum est, Regem ascensurum in templum Domini, quod erat in sublimi loco ædificatum.

Hoc ipsum ostendit etiam vitam Regis & sanitatem restituendam: quod sic declaro. Iam probatum est Solem fuisse tunc temporis in nono domicilio: quocirca reliquum erat, vt iuxta ordinarium motum inde in domum octauam descenderet, quam Astrologi appellant domum Mortis: sed mediante hoc ascensu irregulari elongatus est ab hac, & recessit versùs decimam, quod sanitatem, & vitam Regis futuram significauit.

Insuper ostendit etiam, Ezechiam die tertio sanctam ædem ascensurum, hoc est exactâ parte residuâ illius diei, quo fit miraculum, sequenti die integro, & nocte tertiam diem antecedente. Etenim factum est signum circiter duos tertios primæ horæ pomeridianæ, vt probatum est; quocirca secundũ regularem cæli cursum supererant adhuc perficiendę circiter horæ quinque, & vna tertia, priusquam nox succederet: quibus adiungendæ sunt vna hora,

& vna

& vna tertia ob conuersionem Solis versùs Meridianum circulum, atque reditum in eundem gradum, in quo erat in principio conuersionis: sicque à principio miraculi vsque ad noctem effluxerunt horæ vi. & duo tertij: ab hac nocte transijt dies integer vsque ad sequentem, inter quã, & principium tertij diei intercesserunt horæ circiter xii. quæ omnia collecta in vnum constituunt integrum diem, horas xviii. & duas tertias, atque profectio diurna huius temporis perficitur gradibus xxiv. minutis xli. Quare profectio nonæ domûs, quam ad cultum pietatis inclinare diximus ex Astrologorum sententiâ, erat intra gradus eiusdem viginti quinque.

Etiam Sol in xlii. horis, & duabus tertijs proprio ac regulari suo motu, transeunte gradum vnum, minut: xlv. secund: vi. non præteriuit gradus ad nonam domum pertinentes; erat enim in principio conuersionis circa gradum vigesimum vltra cuspidem.

Præterea prænunciauit etiam quindecim annos adijciendos supra tempus debitum vitæ Regis Ezechiæ. Quãuis autem illud demonstrare adamussim non æquè facilis sit laboris, cùm tempus determinatum natiuitatis eius non habeamus; nihilominus, quia hoc miraculum accidit Sole prope vernale æquinoctium existente, ponamus fuisse in ipso Æquinoctio: licèt enim non prorsus fuerit in eo; erit exigua diuersitas in calculo sequẽti. Signum contigit xiv. annis postquam Rex fuit coronatus, anno scil: xxxix. ætatis eius: erat enim annorum xxv. cùm regnare incæpit, vt scriptura testatur. Dicunt autem Astrologi fuisse Ezichiã hanc dignitatem assequutum Sole intrante in viâ directionis decimam domum, regiam ab ijsdem appellatam, cùm ei regnum hæreditario iure successerit: Arcus verò dire-

ctionis annorum xxv. iuxtà communiorem sententiam, distat gradus xxiv. minut. xxxviii. à gradibus cuspidi decimæ versùs nonam; quare tempore natiuitatis Ezechiæ Sol erat in nonâ distans à cuspide gradus circiter iij. versus decimam domum, quod sanè credibile est: siquidem Sol in tali loco, vt illi aiunt, inclinat ad religionem & timorem Dei: quæ in hoc Rege reperiebantur. In tempore miraculi Rex iam ad vltimum vsque terminum vitæ suæ peruenerat, & cùm esset annorum xxxix. arcus directionis erat gradum xxxviii. minut. xxv. quò tempore secundum Astronomos Sol vitæ dispositor peruenit in locum Abscisoris: & cùm esset in principio Arietis, & in domo prædictâ, polus erat eleuatus supra suum Horizontem circiter gradus xiv. posito quòd fuerit maior declinatio Ecclypticæ eà tempestate gradibus xxiii. minut. xlvi. erat Abscisor in gradibus vii. minut. xvi. Tauri. Erant autem hi anni integri: sic enim etiam reliquos annos in suis computationibus assumunt Chronologi; at ita in natiuitate Ezechiæ Sol erat in Ariete, propriâ suâ exaltatione, & trigono, triplicitate & terminis Iouis: quod quidem Astrologi dicunt prænuntiâsse honores futuros Infantis nati, & inclinationem ad fidem, religionem, & similia alia. Etiam Morbum, quo correptus fuerat anno xxxix. suæ ætatis, prouenisse ex eo, quòd tunc Sol fuerit in domicilio Martis, & terminis Iouis: Saturnum, qui dominus est partis octauæ domûs minatum fuisse mortem futuram ob sanguinis corruptionem: Iouem dominum cuspidis domûs octauæ indicâsse mortem accersendam hepatis inflammatione, ex qua etiam scabies, crustæ, & similes cutis fœditates generari solent, quibus Ezechiam prædicto tempore infectum fuisse, narrat Historia.

Reuertamur modò ad propositum: Sol descenderat iuxta ordinem decem gradibus, quare in fine sui recessûs erat in xx. gradu Arietis: quoniam interea dum versùs orientem remearet, primum mobile similiter processit versùs occasum: quia verò ante reditum Solis in descensione deerat aliquid ex commemoratis decem gradibus, sicut colligitur ex responsione Regis; ideo in fine retrogradationis factæ in illis decem gradibus versus orientem Sol attigit aliquantulum etiam partem cæli ascendentem.

In Natiuitate huius Regis duo principia sunt animaduertenda: alterum generationis propriæ: alterum recuperatæ sanitatis, quæ fuit quasi noua quædam illius natiuitas. Directiones Solis in priori principio fiunt cum descensionibus: quandoquidem tunc temporis Sol fuit in parte descendente, & in fine xiv. gradûs altitudinis poli; in posteriori autem cum ascensionibus fiunt, & secundum altitudinem illius loci, in quem Sol peruenerat in parte descendente. Et his principijs suas partes assignare videtur esse conuenientissimum. Cùm autem pars ascendens præualeat semper descendenti; rationabile est calculationem fieri cum ascensionibus, iuxtà conditionem Solis, quam habuit tempore illius regenerationis.

At verò in fine xiv. gradûs altitudinis poli, secundùm eum statum, in quo erat in vera natiuitate, Ascensio graduum xx. in Ariete, in fine gradûs xiv. altitudinis, est graduum xvi. & minutorum xxvii: Ascensio interfectoris, qui est in gradibus vii. min. xvi. Tauri, est graduum xxxi. minut. xv. relinquitur arcum directionis fuisse graduum xiv. minut. xlvii. qui secundùm vulgarem opinionem est annorum prorsus xv.

Signum

Signum fuit denique insignis victoriæ, quam sine armis Rex de Assyrijs reportauit beneficio Angeli, interficientis nocte vnà centum octuaginta quinque millia inimicorum eius. Si enim Iosue Solis motum duntaxat prohibendo, commisso prælio victoriâ potitus fuit; vtique hîc, vbi maius contigit miraculum: cum non constiterit modò Sol in suo cursu naturali, verùm etiam motu inordinato sibiq; contrario quasi repedauerit; summa victoria, summusque triumphus succedere debebat, summæ pariter admirationis signo antecedente. Vnde quemadmodum intelligentia orbi Solari assistens præstitit hunc effectum, ordinario contrarium in motu diurno, ita Angelus Domini plenus aliàs benignitatis atque misericordiæ, fecit effectum à suâ naturâ alienum, tantam mortalium multitudinem trucidando.

Porrò relicto etiam discursu Astrologico, possumus facilè ostendere, illud signum indicauisse secundæ & tertiæ promissionis euentum: intelligendo iam in præsentiarum tertium diem, quo Rex domum Domini accessurus erat, fuisse tertium septimanæ diem: præsertim quia vocabulum hoc tertium in Hebraico habet in fronte particulam *he*: quæ apud nos, vt narrant periti linguæ Hebraicæ significat rem vulgariter notam: vnde etiam hîc diem aliquem tertium iam communiter notum significabit. Licèt verò etiam primus dies Paschatis, qui tertius erat à die promissionis, esset satis manifestus; tertius tamen dies septimanæ erat manifestior, cùm frequentiùs recurreret.

Deinde numerus denarius includit ternarium, & septenarium: atque ita innuit in tertio gyro septem diurnarum reuolutionum Regem ascensurum in locum altum & plenum luminis, qualis fuit templum Dei. Similiter xv. anni cō-

tinentur in denario numero, qui duabus, & quinque ſolet menſurari & connumerari. Si computatio fiat maioris numeratoris, ideſt quinarij, ſecundum naturalem ordinem incipiendo ab vnitate & ſic conſequenter ad reliqua procedendo in hunc modum 1.2.3.4.5. conſurget multitudo xv. numeri. Numerato denario integro iuxta viam præcedentem, incipiendo à primo numero, & minore numeratore denarij, hoc eſt à binario, & ita ſequentia connumerando hoc pacto 2.3.4.5.6.7.8.9.10. emerget multitudo liv. numeri: ſicut fuit numerus annorum ætatis Ezechiæ, ideſt annualium reuolutionum Solis, qui in ordine ſecundarum cauſarum dat hominibus vitam. Sol enim & homo generant hominem inquit Philoſophus lib. 2. Phyſ. text. 26.

Reliquum eſt vt abs te, humaniſſime lector, officiosè cõtendam, vt meum hunc laborem æqui bonique conſulas. Promitto enim me breui tibi exhibiturum nouum aliud opuſculum *De Creatione quatuor primorum dierum*. Interea tibi pacem, proſperumque anni decurſum à Summo Motore deſidero: atque rogo, vt vnà mecum eundem deuotis tuis precibus requiras pro incolumitate, felicitate, diuturnâ vitâ, atque exaltatione Inuitiſſimi Imperatoris vniuerſæque eius familiæ Auguſtiſſimæ.

AVCTORIS LITERAE

Admodum Reuerende Pater.



PErgratæ mihi fuerunt literæ tuæ, præsertim cum intellexerim, te relictis grauioribus tuis ſtudijs adeo anxie pro illius mei opuſculi conſecutione, quod Imperatoriæ Maieſtati iam dicaueram, elaboráſse. Verùm cùm commodè id à te minimè fieri poſse ſignifices; Hebraicum exemplar, quod ipſe ex Italico pro excellentiſſimo Domino Laurentio N. DalnaKi Tranſyluano Hungaro conuerti, ad te mitto.

Addis, rationi magis conſentaneum fore, ſi diceretur, Regem Ezechiam à Deo ſignum ſuper quatuor rebus, ſibi ab eo promiſſis, poſtulaſse: Scripturam verò prolixitatis vitandæ causâ duas tantùm primas nominare. Cùmque ipſe ſentiam, ipſum Regem non petiiſse ſignum niſi ſuper duas primas promiſſiones; oportebit afferre rationem, cur ſuper alias etiam duas ſignum non poſtulauerit?

Ad quod reſpondeo, etiam iuxta tuam opinionem, quòd ſcriptura clariùs ac breuiùs loqui poterat, & dicere, *Da mihi ſignum*, vel *Quod erit ſignũ*? ita enim ſignum ſuper omnes quatuor promiſſiones breuiter poſtulaſset.

Ad illud, quod mihi obijcitur, reſpondeo, Ezechiam confirmationem tantùm petere à Prophetâ debuiſse earum rerum, quas Deus illi concedebat ad ſuæ infirmitatis ab eodem Prophetâ ei prædictæ leuamen. Verùm confir-

inationem earum gratiarum, quibus ei ad aliud opus non erat, quàm ad bene esse: quippe quæ à diuinâ liberalitate penitus proficiscebantur, audacter petere non debuisse: ideoque Prophetæ dixit, vt signum ei, non super quindecim annorum additionem, nec super liberatione de manibus Regis Assyriorum daret; sed quidem super conualescentiam suam, & super profectionem ad Templum.

Sed dicere posses mihi, petitiones ab Ezechiâ Rege expositas, non satisfacere illi, quod ei Prophæta euenturum prædixerat. Propheta namque ei primum dixerat, *Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non viues*: & nunc ipse ei dicit, *Quod erit signum, quia Dominus me sanabit, & quia ascẽsurus sum die tertia Templum* Domini? Cui respondeo, quod dum scriptura dicit *& non viues*, vult dicere, *non sanaberis*: idest, quod propter valitudinem, quâ affligebatur, statim moreretur. Verbum enim Hebraicum *Tichie*, quod exponitur *viues*; interpretari potest *sanaberis*: & multis etiam alijs locis scripturæ accipitur pro *sanare*: & in eamdem sententiam cùm ficorum massa Ezechiæ plagæ superposita esset, & conualuisset, dicit textus *Vaiechi* in vulgatâ etiam editione interpretatum, *& curatus est*, vt in Caldęo de Ionadàn Ben Vziel dicitur *Veitezzè*. Cùm igitur postea ei annunciat, *ecce sanaui te*, videtur contrarium ei, quod jam dixerat; *& non viues*: quod declarat, ipsum sanari non debuisse. Dum postea ei dicit. *Die tertia ascendes templum Domini*, vt scilicet laudaret, ac gratias Deo ageret, videtur contrarium eius, quod priùs ei dixerat, *Morieris enim tu*: si enim mortuus esset, ad Templum, vt Deo gratias ageret, proficisci non potuisset: ideoque apud Isaiam cap. 38. dicit ipse Rex, *Viuens, viuens confitetur tibi, sicut & ego hodie*, & cùm scriptura dicat, *Morieris enim tu*: deinde addat,

Et non viues, clarum est eam non id significare, sed cuiusdam præcepti legalis rationem habere. Dicunt Rabbini, quòd si quis in ægritudine testaretur, deinde ex eâ ægritudine non moreretur, testamentum nullum esse: & non obid solùm, verùm etiam licèt non immediatè ex eo morbo decederet, pariter nullum esse. Per illud *non immediatè* nobis declaratur, quòd inter morbum & mortem domo egressus sit, vel quid simile: quare argui potest, ipsum ob eam infirmitatem non immediatè obijsse. Nunc Regi Propheta dicit, vt rebus suis prospiciat, ac testamentum faciat: moribundus enim erat, & subdidit (& est quod à nobis consideretur) *Et non viues*, vt ei significaret, quod eò magis rebus suis consulere debebat, quò minùs sperare poterat vllum tempus valetudinis intercessurum inter ægrotudinem, & mortem.

Secundò arguis, quomodo esse possit, vt orbis Solis ab occasu ad ortum regressum faceret, & quòd inferiores orbes motum diurnum ab occasu in ortum naturaliter secuti fuerint? & tamen quisque inferiorum mouetur, & ducitur à superiore ei contiguo: idemque dubium in facto Iosuè tetigisti.

Acutè quidem dici potuisset, Solem nunquam retrocisse, nullamque harmoniç solitæ perturbationem secutam fuisse; sed in vmbrâ tantùm fuisse miraculum: scilicet eum contrario motu suo naturali moueri iussisse, & miraculosè etiam vmbram sine corpore, ex quo oriretur, fuisse: atque præterea in libro Regum, vmbræ regressum semper nominari; nunquam verò Solis, nisi semel tantùm in Isaia cap. 38. ac si inferre voluerit, quòd in Sole, tanquam si regressus in eo accidisset, considerare deberet, & inuenisset, quatuor significari promissiones, vt in opere diffusè ostédo.

do. Etiam apud Iosuè Deus fecit, vt bina lux ad Solis & Lunæ similitudinem appareret, quæ immobilis esset. Sed tanquam veritatis amans illud idem, quod in ipso meo opere continetur, scripsi, tuæque Paternitati respondeo, scilicet quòd si vnus orbium planetarum non moueretur, tamen proprium motum & ab ortu ad occasum inferior sequeretur: id autem pluribus de causis.

Prima quià motus, qui à naturâ superiori ad inferiorem datur, non est contra naturam, imò naturæ inferiori magis naturalis, quàm ille, qui immediatè ab eâ pendet, vt ex Aquinate parte primâ quæst. sexagesimâ articulo quinto colligitur.

Ergo motus diurnus, qui ab ortu ad occasum inferioribus cælis communicatur, naturalis est, & non violentus: & si enim raptus appelletur, non ideo, quasi sit violentus, dicitur; sed quia ex superiori pēdet. Cùm igitur verissimum sit, quod motus naturalis tantùm duret, quantum principium talis motûs: & durante motu primi mobilis, qui est principium motûs diurni, durabit semper talis motus in quolibet inferiori cælo, etiam si suum cælum immediatè superiùs consistat.

Motum autem diurnum naturalem esse omni cęlo confirmatur: secundùm enim Philosophiæ paripateticæ principia, violentum nullum potest esse perpetuum; attamen cęlorum motus iuxta eandem Philosophiam perpetuus esse potest, & ex Arist. sententiâ est perpetuus, igitur absolutè est naturalis.

Præter prædictam rationē diuinæ scripturę interpretes in eo concordant quid, quòd sex diebus creationis Deus stabiliuit pro naturæ institutione, vt vsque ad finem mundi perseueraret, fecit: cùm verè iisdem diebus planetarum

motum ab Oriente ad Occidentem stabiliuerit, illos esse motus naturales, fateamur necesse est. Minorem propositionem probo ex principio Gen. v. 14. vbi dicitur, *Dixit autem Deus: Iehì*, (quod propriè interpretatur fit) *luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos*. Diuisio autem inter diem, & noctem nulli dubium est quin ex motu diurno oriatur, & quod de orbe Solis dicitur, idem etiam de alijs planetis dici poterit. Insuper scriptura addit, *& sint in signa, & tempora, & dies, & annos*, & quisque confitetur motus proprios planetarum ab occasu in ortum naturales esse: cùmque ex his motibus procedant constellationes dictæ, signa, & festiuitates, quæ in Sacris Biblijs præcipi debebant; hîc appellat tempora, quæ ex motibus proprijs Solis, & Lunæ deriuant; & anni à Sole pariter naturales vocari debent. Ita vt cum scriptura ponat hos in eodem gradu, & illos, qui diem, ac noctem constituunt, sequitur vt vtrique eodem modo se habeant. Quòd per signa verò intelligantur aspectus, & constellationes, patet ex Ieremia cap. 10. v. 2. videlicet, *& à signis Cæli nolite metuere, quia timent gentes ipsa*.

Imò hoc in loco vnum considerandum, & non contemnendum, se mihi offert. Obseruo quòd ex duabus influxuum speciebus, quos stellæ super inferiora habent, bonos scilicet, & malos, hîc tantummodo malorum respectus habetur: cùm dicatur, *nolite metuere*, & pariter tamen dici debebat, *bonis non habendam esse fidem*: cùm ex manu Dei omnino pendeant: Id autem soluitur dicendo, constellationes non omninò per se ipsas viribus carere; sed in inferioribus potestatem habere. Verum quidem est, quòd Deus omnium Dominus malum, & bonum,

quo-

quorum ipsę sunt causa, potest prohibere, hoc quidem ob male facta, illud verò propter hominum merita: illud quidem de Dei hostibus verificari potest ; non aliud autem: idest potest quidem esse, vt illud bonum, quod peccatoribus constellationes donant, iisdem à Deo auferatur; non autem malum, quòd ijs daretur. Atque ita Deus malum illud, quod sydera seruis eius minitabantur, amouebit, non autem bonum, quod negatur. Ideò hìc tantùm populo Dei dicitur, vt sinerent gentes timere sydera, quæ, tanquam Idololatræ, illius mali, quod constellationes minabantur, liberationem à Deo consequi minimè poterant: neque hìc mentionem boni facit, quia hoc indubitanter hebræis euenisset. Actiones enim Dei mutandis constellationibus prohibendo bonum, non ~~poterant~~ habeant locum in eis: quemadmodum in Gentilibus malum vitandi: & ne crederetur, quòd bonum omninò à stellis deriuaret, dicit (mea quidem sententia) in fine. *Non timeatis ipsa, quæ non malè facient, & etiam benè facere non est cum ipsis*, idest, *non timeatis ipsa*, respondet etiam signis nominatis in principio sermonis. Causa vero non est timendi, quia nō male faciũt, vt dictum est, & etiam bonum, quod sydera ostendunt, in Deum refundi debet, benefactores benignè remunerantem: ideoque finit, *& etiam bene facere non est cum ipsis*: scilicet ab eis bonum non proficiscitur; non tamen dico, hunc esse proprium sensum literalem: cùm sciam illud, quod dicitur *non timeatis ipsa*, respondere Idolis.

Verùm mihi obijci potest, cur probem, motum diurnum esse naturalem: ex eo, quod legitur in primo, vbi dicitur. *Dixitque Deus sit lux, & fuit lux &c.* vsque *dies vnus*: Cui respondeo, lucem factam primo die, vt ipse sentio: & incredibile est, in ignis sphæra fuisse, si tamen huiusmodi

sphæra

ſphæra datur : quod ſi non eſt, dico, hanc lucem ſuper nubes fuiſſe. Quod ſi ignis ſphæra eſt, quod communiter omnes credunt, antequam Deus in ipſa hanc lucem conderet, non erat adeò rara, tranſparens, & pura, vt nunc eſt; verùm aliquid denſitatis habebat, ſed adeò parum, vt illuminationi non ſufficeret, vt etiam in verſ. 2. dicitur, *& tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, ideſt, quod in regione aëris, aquæ contiguæ, erat obſcuritas, ideſt priuatio lucis : tenebræ namque, & obſcuritas hebraicè dicitur *Choſech*, quod nomen à verbo *Chaſach* deriuatur, quod priuare ſignificat. Sequitur deinde ſcriptura, *Dixitque Deus ſit lux*, ideſt mandauit, vt illa denſitas, quæ erat in igne, cogeretur, atque in concauum, vel conuexum ſphæræ reduceretur : ſed potiùs credendum eſt, quòd in concauo, vbi minor materia ſufficiebat, eſſet. Vel dici etiam poteſt, quod ignis erat tranſparens : ſed Deus illo tempore pro luce denſitatem creauit, & illa denſitas lumen reddebat: ita, vt aër cum totò aquæ conuexu illuminaretur. Dicitur tamen in Iob cap. 36. v. 30. *ecce extendit ſuam lucem ſuper ipſum, & radices maris operuit*, ſcilicet ſuper nubes (in antecedente verſum nominatas) in concauo ignis extendit lucem, & totam terram quæ poſita erat in maris radicibus, operuit ipſa luce, ideſt circum circa, vt dixi. Hoc alluditur in cap. 28. ii. quod iuxtà textum hæbraicum dicit, *Et ab abſcondito produxit lucem*, ſcilicet Deus noſtris oculis à loco abſcondito lucem produxit, quæ eſt ſphæra ignis à nobis occulta: & pro tempore, quo lux huiuſmodi fuit, dicit Dauid in Pſalm. 103. *Amictus lumine, ſicut veſtimento*: etenim ſicut amictus totum hominis corpus circundat; ita lux totam regionem aëris ambiebat. Dicit poſtea textus in Gen. *& diuiſit lumen à tenebris*, ideſt magis iterum reſtrinxit eam

denſi-

densitatem, quàm prius restrinxerat vel creauerat: totamque tali pacto ac ratione disposuit, vt vna pars tantùm globi terrestris illuminaretur: & hæc ignis pars lumen reddebat: alia verò vacua omnino lumine fuit, transparens, & pura, vt nunc etiam cernitur: & eo tempore mansit obscura ea pars aëris, & aquæ, quæ ab ignis sphærâ lucem habere non poterat. Id alluditur in Iob cap. 26. 10. vbi dicitur, *Terminum circumdauit super faciem aquarum, vsque dum finiantur lux, & tenebræ*. Pro faciebus aquarum intelligitur regio aëris, quæ peruenit vsque ad Sphæram ignis, in quâ pars vna lucem reddebat, non verò alia, vt dixi. Etiam 36. 32. dicit, *Super nubes operuit lumen, & præcepit ei, vt adueniat*, idest præcepit, vt lux luci, modo declarato, obuiam fieret, seque coniungeret. Tametsi in supradicto Geneseos loco scriptura deinde dicit *factumque est vespere, & mane dies vnus*; non propter hoc ibi clarè dicitur, quod motus circularis in cælo secutus fuerit. Etsi omnes Theologi affirment motum primi mobilis in omnibus cælis, etiam primâ die fuisse; nihilominus aliquis dicere poterit, quòd talis motus diurnus in sphærâ tantum ignis, in alijs verò cælis non secutus fuerit: ideo ex hoc die probationem sufficientem elicere non potui. In quarto postea dicitur, *Dixit autem deus* Jehi *Meorod*, idest *sit luminaria*, scilicet vt lux facta primo die sit luminaria: & id factum est, quia ipsa lux in plures partes diuisa fuit, ex quibus Deus fecit Solem, Lunam, & etiam stellas, atque vnamquamque earum in suo locauit orbe: & eo tempore motus diurnus stabilitus fuit, & vt iam dixi id vult dicere Salomon in Prouerb. cum dicit cap 4. 18. *Iustorum autem semita, quasi lux splendens, procedit, illuminauit vsque ad stabilitatem diei*, idest, via iustorum est lucida, & splendida, vt fuit illa prima

lux,

lux, quæ illuminare non destetit, donec Deus diem quartum stabiliuisset. Neque contemnendum est de primi diei lucis creatione, & luminarium, & stellarum in quarto cùm enim multi alij mecum sentientes, & nisi ex omni, saltem aliquâ ex parte. & præter supra scriptas sacræ scripturæ auctoritates, etiam Rabbini Antiqui in Libro inscripto *Rabòd, in Beresìt Rabà* sectione tertia allegoricè interpretentur, quod Rabbi Simeòn quæsiuit ex Rabbi Samuele, vnde, seu ex qua re Deus lucem creâsset: ipse verò respondit, exijsse splendorem ex suis vestimentis, qui ab vno fine in alium mundum totum illustrauerit, scilicet omni mundi circumferentiæ lucem reddebat, vt ipse dico: & si lux, & obscuritas, dies, & nox esse debebant, vt ibi scriptura dicit; necesse est dicere, Deum postea restrinxisse hanc lucem ita, vt totum non illuminaret. Cui quidem meæ expositionis alij Rabbini Antiqui suffragari videntur in secundo *Haghigà*. Rabbi Iacòb dicit, quod beneficio lucis primo die creatæ, homo à capite mundi ad aliud videt: & alij Rabbini dicunt, luminaria, de quibus in quarto die fit mentio, creata fuisse in primo, sed in quarto affixa tantùm fuisse, &, vt sentio, inter hos nulla est controuersia: & Rabbi Iacòb intelligit, quòd homo in omnibus mundi partibus continuè lucem habuisset, dum lux totum globum ambiebat. Alij verò Rabbini cum ipso de hoc non disputant, sed inferre volunt, quòd Deus ex primâ luce fecit luminaria & stellas die quarto. Hoc etiam Psalmista infert, cùm in Psal. 148.3. dicit *Halelùhu còl còcheue or*, ad verbum interpretatum dicet, *Laudate eum omnes stellæ lucis*, & grammaticaliter aliud dici non potest: & dicit, quòd omnes stellæ creatæ ab ipsâ luce, primo die facta, eum laudare debeant. Contra dicta, auctoritate ipsorum, qui arbitrantur

Solem

Solem incorruptibilem esse naturâ, argui non potest, quoniam hîc iuxta sacram scripturam, quæ iuxta meam opinionem in Psalmis, & Iesaia vult cælos & omnia Astra corruptibilia esse, loquitur, & iuxta opinionem Platonicorum etiam nunc maculæ in Sole repertæ fuerunt : quare eum corruptibilem esse censendum est. Huc autem adduci potest quod in Psal. 103. 19. dicitur, *Fecit Lunam in tempore, Solis cognouit occasum*; idest Deus Lunam fecit, vt per aliquot tempora duraret: scit etiam occasum Solis, scilicet eius corruptionem, vel destructionem : ac si diceret, & de Sole cognouit suum occasum: & inter alia ipsius scripturæ loca huius opinionis, probatio deduci poterit ex Psalm. 101. 26. vbi dicit; *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli : ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut operitorium mutabis eos, & mutabuntur*: dicit ipsi peribunt, idest tàm cælum, quam terra simul peribunt eo modo, quo Deus permanet, igitur totaliter, ac substantialiter peribunt: declarat postea, quod tanquam vestimentum veterascent, seu deterentur, & ideo Deus eos mutabit : & quemadmodum vestimentum detrahimus, & aliud induimus; ita cælum ac terra à Deo totaliter amouebuntur, atque ita peribunt, nouosque conficiet, qui noui erunt incorruptibiles, vt in fine Iesaia legit. Contrà verò obijciet quis ex eo, quod in Ier. cap. 31. 30. legitur; *Hæc dicit Dominus, qui dat Solem in lumine diei, ordinem Lunæ & stellarum in lumine noctis, qui turbat mare, & sonant fluxus eius, Dominus exercituum nomen illi. Si defecerint leges istæ coram me dicit Dominus, tunc & semen Israel deficiet, vt non sit gens coram me cunctis diebus*; id verò intelligit durante mundo : ideò in fine dicit, *cunctis diebus*; imò locus iste opinioni à

me defensæ non parum fauet : ponit enim Solem ac Lunam cum stellis in eodem gradu cum maris inquietudine, quod nihil opus erat hoc in loco nominare : sed inferre vult, quod sicut hæ maris actiones finem habebunt, ita etiam stellæ. Alijs autem videtur instantia illud, quod apud Danielem 12.3. legitur, *qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*, hoc autem *in perpetuas æternitates* respondet *doctis, & illis, qui ad iustitiam erudiunt*; non autem *firmamento, ac stellis* : non enim hic homines illis comparat, nisi in splendore.

Imò iuxta opinionem asserentium primi diei lucem in nubibus fuisse, facilè sententiam suam tueri poterunt duobus supracitatis versibus Iob. cap. 36. cùm ibi nubes nominentur, vt etiam cap. 37. v. 11. & 14. qui etiam fortasse sentiunt, non dari sphæram ignis : quòd si eam reperiri assererent, profectò dicerent, lucem in eà fuisse, vt ipse dico, vt verisimilius est : cùm etiam in exodo cap. 13. reperiatur, Deum columna ignis, vt populo hebræo lucem præberet, vsum fuisse. Etiam in idiomate hebraico *Vr* significat ignẽ, & *Or* lucem, & hæc ambo nomina scribuntur cum literis *Aleph, Vau, Res* : neque alia differentia est, nisi quòd nomen *Vr* fit cum punctulo clauso intra *Vau* & profertur labiorum suppressione, & in *Or* paruum illud punctum super superficiem *Vau* dilatatur, & pronunciatur labijs disiunctis: ac si dicat, quòd hic ignis se restringens, radios suos extra diffundit, lucemque exteriùs reddit.

Vt autem meliùs ostendatur supradictum argumentum de Solis incorruptibilitate locum non habere, Aquinatis adducam verba dicentis in prima parte quæst. 6. 11. art. 4. *& ideo alij dicunt, quòd ex illà nube formatum est corpus*

Solis

Solis : sed hoc etiam dici non potest, si ponatur corpus Solis non esse de natura quatuor elementorum, sed esse incorruptibile per naturam &c. Ecce quòd ipse non est vehemens in contradicendo : dicit enim si ponatur &c. Igitur potest poni natura Solis ex quatuor elementis. Alias etiam rationes adducere possem, quibus opinionem meam fulcire posem, sed non est cur aliud dicamus.

Dici etiam poterit propter verba quædam à Rabbinis Antiquis allegoricè addicta, Solem, & Lunam æqualis magnitudinis facta fuisse, ob rationem, quam dicam : & ideo dicitur *Fecitque Deus duo luminaria magna* cùm effectiuè magna fuerint : sed si etiam Luna toto ferè tempore magna & luminosa fuisset ; nulla fuisset nox ; ideò eodem instanti Deus corpus Lunare ita restrinxit, atque ita diminuit, vt densissimum manserit, & opacum illud sine vllo lumine fecit, præter illud, quod reflexu Solis acciperet, & ideò appellat illud postea Luminare minus : & hoc alluditur in Iob cap. 28. v. 11. supracitato, & textus hebraicus diuersè interpretatur à supradicto, quod dicit, *& abscondita produxit à luce*, scilicet à luce fecit Lunam opacam: & dicti Rabbini sub metaphorâ ferè proposuerunt colloquium, quod Luna cum Deo habuit: & si in tertio *Cholin*, vbi dictum colloquium reperitur, legeris; meam sententiam facilè cognosces : talique fundamento dici poterit, quod literaliter intelligitur illud, quod Iesaias cap. 30. v. 26. dicit, *Et lux Lunæ sicut lux Solis, & lux* Solis *erit septempliciter, sicut lux dierum notæ septenæ* ; inferre vult eo tempore luminaria ad eumdem statum, quem tempore creationis habuerant, reuersura: Luna vero erit magna & lucida, vt erat tempore, quo facta fuit; idest magnitudinem Solis æquabit; & supradictus locus Iob binis iam modis declaratur hoc

in loco. Tertio modo dici poterit, quòd textus hæbreus patet: & hìc, sicut in vulgatâ, quæ dicit, *& abscondita produxit in lucem*, scilicet Lunæ, quæ nunc opaca, abscondita, & à luce priuata est, Deus lucem dabit, dicetur: & etiam lux, quę tribus primis diebus fuit, reuertetur: quòd Sol erit magnus, vt fuit tota lux, quæ in sphærâ ignis. Cùmq; Deus ea, quæ in Iesaia dicuntur, facere vellet; ideò in creatione primam illam lucem formauit, deinde Lunam magnam, & lucidam, tanquam Sol, licèt non remanserit; ne quid noui faceret, quod illis diebus factum non fuisset: &, vt opinor, omnia, quæ nobis miracula videntur, facta à Deo, & à Seruis suis, à Diuinâ suâ Maiestate septem creationis diebus, vt etiam antiqui Rabbini sentiunt, stabilita fuerunt: & hanc opinionem Agustinum habuisse credo, vt in Tomo 6. lib. 26. cap. 3. in Faustum: & cùm longè loqui nolim, ipsum textum non attuli. Et ideo fortasse Deus signum Regi Achaz dare voluit, licèt Rex illud nollet, vt in Iesaia cap. 7. Id autem, vt opinor, Ecclesiastes innuere velle videtur, cùm in cap. 1. dicit, *Quod fuit ipsum, quod facturum est, & quod factum est ipsum, quod faciendum est: nihil sub Sole nouum. Aliquid est quod aliquis dicat, ecce hoc recens est: iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos*. Et hac forsan de causâ Deus in tempore mundi creationis eum aquis coopertum creauit: & primâ die illum non creauit, sicut postea tertiâ die iussit, ne tempore Diluuij, quo terra iterum cooperta fuit, quid noui fuisset. Hoc autem credo significare velle sacram scripturam, dicentem Gen cap. 6. v. 17. *Ecce ego adducam aquas* Diluuij *super terram* Dicit enim *Hamabùl* cum *Hè* emphaticà; seu demonstratiuâ, licèt antea non dixerat hanc vocem *Mabùl* ad denotandum *Mabùl* iam notum, scilicet sicut iam Deus tempore creationis stabiliuit.

Et

Et quod dicitur ibi in Iesaia c. 30. *& lux Solis septẽpliciter*, non vult omninò significare septies, sed multis partibus maiorem, quàm nunc est. Et in diuersis scripturæ locis reperitur, quòd hic numerus pro longe maiori accipitur: & fortasse hunc numerum septenarium accepit; cùm perfectus numerus vocetur.

Sed eadem scriptura se exponit, cum dicit, *sicut lux dierum notæ septenæ*; scilicet Luna & lux Solis erit, vt fuit septem diebus notis, qui sunt illi creationis. Quarto namque creationis eius die Luna lucem habebat; & erat magna, vt Sol: & lux, quæ primis tribus diebus ipsius hebdomadæ erat, in Sole erit, & vt in Ecclesiaste. Tamen te moneo illud, quod super textum adductum dico, idest Luminaria magna, & suprà Luminare minus, esse iuxta sententiam Rabbinorum supradictam. Nam quoad literalem sensum dico, etiam Lunam Luminare maius appellari: respectu namque visus nostri omni stella est maior, & ferè eiusdem magnitudinis, cuius Sol: illudque postea vocat Luminare minus propter tempus, quo Soli est proxima, & cornuta apparet; tanquam pars interior ei deesset.

Tandem licèt expositio & interpretatio nostri loci Ezechiæ à meâ differat; interpretes tamen & expositores sentire videntur, motum diurnum esse naturalem. Vulgata dicit, *& ait Ezechias facile est vmbram crescere decem lineis: nec hoc volo, vt fiat; sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus*: ac si innuere voluerit, quòd cum naturalis sit motus velox occidentem versùs, miraculum apud homines leue erat: cùm Solis orbis naturaliter ergà illam partem feratur: sed si motus fuisset, vt fuit, velociter orientem versùs, ad quem naturaliter tardè mouetur: miraculum profectò maiùs fuisset. Quòd si dicere velimus motum ad occiden

tem naturalem non fuiſse, magis mirum fuiſset, ſi maiori, qua ſolet, velocitate ad illum properaſset: cùm id contra naturam ſit eius. Motus namque orientem versùs, licèt tardus eſse ſoleat, proprius tamen, & naturalis eſt, & ex conſequenter minus miraculum fuiſset.

Pro ſecundâ probatione; quòd nimirum quilibet Planeterum orbis motum diurnum ſequeretur, licèt ſuperior ei proximus immobilis maneret, dicitur: quòd cælum vel eſt animatum, vel non, ſed ab Angelo, qui ab Ariſt. Intelligentia dicitur, mouetur: quæ ſententia in ſcholis communior videtur. (Id autem quidam ex Rabbinis antiquis ſignificare voluit, cum ſuo nomine dicatur in ſecundo Haghigà, ex omni verbo ab ore Dei exeunte Angelum creari: idque probant ex Pſal. 32. 6. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*) Si ab intelligentiâ mouetur, cùm illa immediatè aſſiſtat, & influxum recipiat ex eâ, quæ mouet primum mobile, vel quòd iuxtà opinione Peripateticorum voluntariè velit imitari illam (iuxta voluntatem, quã dicunt Theologi Angelos habere) nullâ cælorũ intermediorum habità ratione, vel ordine: ſupereſt, vt per Angeli ſuperioris motoris primi mobilis operationem, operetur etiam inferior, accipiendo à primo influxum, vel motùs directionem. Si verò eſt animatum, mouetur ratione motûs ſuperioris, & principium motûs intrinſecum habet: igitur nullum dicit ordinem ad aliquod cæluminter medium.

Hic meam quandam ſententiam de hac re tibi exponam: In Pſal. 135. v. 5. vbi dicitur, *Qui fecit cælos in intellectu*: quod eſt idem in textu hębraico, qui dicit *Biduunà* vbi *Bed* erit inſtrumentalis, ſed in ipſo hębraico tolerabilis eſt *Bed* propter præpoſitionem *cum*: ita vt intelligi poſſit,

Qui

Qui fecit cælos cum intelligentia: ideſt quod Deus fecit cælos,& etiam intelligentiam eius. Vel ſi dicere malimus, angelum cœli ductorem:& finit. *Quoniam in æternum miſericordia eius*, nimirum creauit cælum, & angelum eius, qui res inferiores gubernat: idque propter miſericordiam ſuã fecit. Arguet quis, quod in lib. Prouerb.cap.3.19.eadem vox *Biduunà*, cum de cælo loquitur, habetur, dici non poterit, *ſtabiliuit cælos in intelligentia*: & id propter illud quod pręcedit, & ſubſequitur, ideſt *Bechochmà*, quod ibi pro terra accipitur:& *Bedahatò*, pro abyſſis: intelligendum enim eſſet *Dominus cum ſapientia fundauit terram*, & poſtea, *Cum ſcientia eruperunt abyſſi*, quod dici non poteſt: cùm ipſa Angelum, qui eam ducat, non habeat: cùm immobilis ſit. Igitur dicendum erit dictas *Bed* eſſe *Bed hacheli*, ideſt inſtrumentales, & etiam illam *Biduunà* in dicto Pſalmo.

Verùm reſpondeo, omnes dictas *Bed* ſe habere tanquam præpoſitionẽ *cùm* in latino, & etiam terram habere Angelum, qui eam gubernat, vt etiam omnes rerum inanimatarum ſpecies: ita enim noſtri Rabbini, veſtrique doctores etiam dicunt, vt Aquinas in 2.ſent.diſt.11.q.1.art.2.& pr. pr.q.113.art.2.& multis alijs in locis. Ita vt in prædicto loco Prouerb. pro nominibus Intelligentiæ, Sapientiæ, & Scientiæ intelligantur Angeli: & illi quidem, qui mouent cælos, Intelligentia appellantur: illi verò, qui terram gubernant, Sapientia:& illi, quibus abyſſi eſt cura &c. dicuntur Scientia. Sicut enim varia eſt eorum adminiſtratio, diuerſumque ſubiectum, circa quòd verſatur; ſic varia ſortiuntur nomina. Cùm enim ſapientia, vt vult Ariſt. in 1. Rhet. ſit multarum, & mirabilium rerum ſcientia, quæ videntur inuolui terrà, & in ipſa creari propter rerum, &

con-

consequenter scientiarum varietatem; hoc sapientiæ nomen Angelũ ipsius gubernatorem magis, quàm sphærarum cælestium, quibus astra tantùm compræhenduntur, decebat. Additur quòd cùm in vniuersali gubernatione Angeli ipsius, terræ assignati, cõpræhendatur species humana cæteris omnibus nobilior: quippè quæ humanitatem habet & diuinitatis est particeps; Angelus ipse sapientia meritò appellatur: quæ aliter à Cicerone 4. Tusculan. definitur, nimirum rerum diuinarum, & humanarum scientia. Et cùm de abyssis loquitur dicit *cũ scientia sua* (quod mihi videtur instantia) non refertur ad creatorem, sed ad rerum creatarum quamlibet speciem, vt solet multis in locis scripturæ dici.

Dices autem fortassis, si verum est, quod terra etiam habet suum Angelum, in supradicto Psal. 135. postquam dixit, *Qui fecit cælos cum intelligentia*, cùm dicit *Lero K'ah haarez hal hamaim*: idest *firmauit vel dilatauit terram super aquam*, etiam eius Angeli mentio fieri debebat, vt etiam fit mentio ipsius in Prouerb. Ad quod respondeo, quòd in Prouerb. de rerum creatione agitur: & hic in Ps. pariter de cæli creatione; & ideo nominat Angelos cum ipsis creatos: sed in v. 6. Psal. vbi dicitur, *Qui firmauit terram super aquam*, non nominantur Angeli: quia de ipsiùs terræ creatione non agit: verùm de eo, quod tertio die factum est in ipsâ post eius creationem, propter habitationem inferiorum, idest postquam distincta, & separata fuit ab aquis: ad quod alludit scriptura in principio Gen. v. 9. *Dixitque verò Deus, congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida*: quia ante hanc tertiam diem terræ globus erat perfectè rotundus, & Mathematicè sphæricus: & ita etiam aqua, quæ vndique terram circunda-

cumdabat, vt tempore etiam Diluuij, aqua terram totam circumdedit; sed propter inferiorum habitationem Deus iussit partem terræ eleuari altiùs aquis, & ita hanc terræ partem in loco alto firmauit: idque intelligit hìc Psal. *Qui firmauit vel dilatauit terram super aquam*: ita vt aquæ, quæ priùs terram circumdabant, necessariò coactæ, & restrictæ simul fuerint, vt dicitur in Gen. supracit: *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida.* Dictis suffragatur Psaltes in Ps. 103. cùm dicit. *Fundauit terram super bases suas: non inclinabitur in seculum seculi. Abyssus sicut vestimentum amictus eius: super montes stabunt aquæ*: nimirum terram aquis circumdatam fuisse, & etiam loca, in quibus nunc montes eriguntur, *ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt*: scilicet aquæ fugerunt & coadunatæ sunt: vel locus montium se extulit, & à loco suo declinauit: & vt vltra declarat, *ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis*, idest Deus fecit vt eleuaretur terra, hoc est montes, & vt ipsius pars depressa iaceret. *Terminum posuisti aquis terræ altioris impedimento, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram*, vt priùs.

Verùm Admodum R. P. F. Raphael Vicecomes Ordinis Prædicatorum, Theologiæ Professor, satis acutè probauit duobus alijs modis, motum diurnum cælorum inferiorum à superioribus sibi contiguis non fieri. Et primò.

Quia si hic motus diurnus totaliter à primo mobili penderet, & ad cælos inferiores per intermedios ferretur; sequeretur necessariò, vt quo magis virtus efficiens primi mobilis remoueretur ab eo, transeundo per medios, eo magis debilitaretur, donec ad absolutam stabilitatem perueniret: cùm sit hæc natura causarum efficientium, vt quo ma-

gis à longe operantur, & debiliùs suum effectum producant, & moueantur; vt ratiocinanti apparet per singulas: sed si hoc esset, necesse etiam esset, vt virtus, quò magis est primo cælo proxima, eò magis esset efficax: & quò magis abest, eò debilior: ita vt remotiores tardiùs: viciniores verò velociùs mouerentur: & ita si primum mobile cursum peragit spatio 24. horarum; Saturnus 25. perageret, Iuppiter 26. Mars 27. &c. Vel si Luna totum circulum 23. horis absolueret; Mercurius absolueret 24. Venus 22. Sol 21. &c. & tamen nihil eorum videmus; igitur omnes cœli virtutem à primo mobili, independenter ab alijs, recipiunt.

Responderi potest, hæc omnia vera esse: & ob hanc causam cælos inferiores tardiùs moueri, quàm superiores. Cùm enim superiores sint maioris circuitûs, fiet, vt si cælum Solis vnius horæ spatio tria millia milliaria conficeret; Saturnus eo tempore triginta millia milliaria dimensus fuerit (adducuntur hi numeri, exempli gratia: cùm notum sit hunc non esse verum eorum motum:) & quia tam illa tria millia milliaria Solis, quàm triginta millia Saturni respondent xv. gradibus, sequitur, vt cùm superiores velociùs, quàm inferiores, moueantur, vtrique tamē vigintiquatuor horis circulum absoluant, quibus Saturnus maius transit spatium, quam Sol, propter suorum orbium magnitudinis differentiam. Hæc autem responsio facilè confutari posset, si diligentiùs rerum essentiam inspexerimus, & præsertim rerum creatarum harmoniam, quod etiam allatam rationem magis confirmabit: & considerato eodem motu circulari diurno in cælo Lunæ, & elementis iuxta Aristotelis doctrinam Meteorologicam; Cælum Lunę mouet circulariter sphæram ignis: hæc verò tres aëris regiones: quarum

vltima

vltima mouet sub æquinoctiali, vbi motus est velocior, etiam aquam. Hoc nauigantium in Oceano experientiã comprobatur, qui postquam ad Aequinoctialem peruenerunt circulum, continuum fluxum inueniunt, quem ventus perpetuus occidẽtem versus comitatur. Atque ex impressionibus ignitis in superiori aëris regione Arist. cognouit illam moueri ad occidentem: cùm ad illam partem dictæ impressiones moueãtur. Hinc eruitur argumentum: & si Ignis est minor Lunâ, & Aër igne, & Aqua Aëre; tamen quia hæ sphæræ ita mouentur à Lunâ, vt vna ab alterâ pendeat (cùm motus diurnus non sit elementis naturalis) nõ seruant portionem XXIV. horis circumeundi: Aqua enim singulis horis ferè mille milliaria conficere deberet; cùm maior terrę ambitus sub Aequatore sit circiter viginti duo millia milliaria, & tamen in eo situ est tardissimus: imò parum ab Aequinoctiali remoto est omninò immobilis (quod demonstrant eædem experientiæ illorum, qui nauigant ab occidente ad orientem: coguntur enim remouere se septem vel plures gradus ab Aequinoctiali, & aquam omninò immobilem inueniunt) ergo in illis mobilibus, quorum vnum ita pendet ab altero, vt inferius à superiori per mobilia intermedia dependeat, motus adeò debilitatur, vt non solùm minorem circuitum æquali tempore faciant; sed ne quidem æquali tempore totum gyrum absoluant: & ita cæli inferiores totum circuitum viginti quatuor horis non absoluerent, sed maiori tempore: cuius contrarium experimur.

Secundo: Si Cæli non sunt corpora solida instar adamantis; sed fluida instar aëris (vt apertè demonstrant noua phænomena, ex quibus cognoscitur, quòd Mars interdum videtur Sole inferior, & Venus eo superior: & vt

ex antiquâ Ptolemaicâ Almagesti doctrinâ, propter duplicem epicyclum Lunæ) sequitur vt omnes stellæ ferantur per ætheris vastitatem independenter vna ab alia, vt faciunt pisces in aquâ, & aues in aere, inter quos nulla est dependentia: vbi facilè moueri poterunt inferiores, etiam superiori consistente immobili, dum hæc omnia à primo mobili proficiscantur. Neque est cur dicatur, Arist. contra sensisse: imò eandem scripturam in Iob, dum cap: 38. 18. dixit, *Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt*: Quia Arist. in rebus ad Mathematicam & Astrologiam pertinentibus ad eosdem nos reijcit. Ponit namque tantùm octo cælos: cùm Astrologi sui temporis alios non cognouerint. Textus verò scripturæ non ab ipso Iob affertur, sed à quodam ex suis amicis, quos verum semper dixisse non oportuit: imò de ijs Deus dicit, *stultè locuti sunt*.

Sed videamus quæso, si motus diurnus inferioris totaliter, & immediatè (vt vis) à superiori penderet; hic vi supremæ potentiæ consisteret: quod forsitan probare non erit difficilè, si motus causam obseruabimus: quæ alia non est, nisi impulsus superioris ab inferiori acceptus: videmus autem quotidianâ experientiâ, quòd impulsus impressus immobili in eo perseuerat, etiam si motor stet, vel longe absit, quemadmodum in lapide iacto, quem dicunt moueri minùs velociter in principio motus, quàm paulo post illud: imò in motu violento, si quis rotam diu impellat, non tamen statim manibus amotis ipsa consistit, sed eius motus ita procedit, vt primæ sequentes circulationes velocitate sint illi similes, in quibus erat rota immediatè ab agente mota; ergo etiam si cœlum Veneris in suo motu penderet à Sole, hoc immobili existente, eundem illud motum per

inte-

integram saltem circulationem sequi potuisset.

Et licèt meam opinionem satis probasse arbitrer, nolo tamen quandam meam considerationem super locum Habachuch, qui facto Iosuè inseruire potest, ommittere. In Habachuch cap. 3. 11. dicitur, *Sol & Luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ*; qui locus, vt dixi, à multis intelligitur de Solis & Lunæ consistentiâ, quam fecit Iosuè, quòd ipse etiam affirmo. Partem verò secundam versûs diuersè declaro: quo quidem tacitè obiectioni responderi poterit: nimirum, si luminaria constiterunt, quomodo igitur res inferiores naturaliter gubernabantur? id enim extra miraculum fuit: cum nihil miraculo adscribendum sit, nisi illud, quod scriptura apertè dicit; & ideò postremò dicit, *in luce sagittarum tuarum ibunt*, quòd motus aliorum cælorum, excepto Solis & Lunæ motu (nimirum diurno, & ordinario ab occasu in ortum) motum localem in inferioribus efficiebat, & consequenter alias res necessarias, quæ paruo temporis spatio sufficiebant gubernationi, etiam motu luminarium: id autem colligitur ex verbis, *in lucem sagittarum tuarum ibunt &c.* cùm per lucem intelligatur Angelus, orbis ductor: per sagittam verò motus diurnus, ac velocissimus. Quid igitur aliud erit, *ibunt*, nisi localiter mouebuntur? *in luce sagittarum tuarum*, idest per angelum, qui motum velocem ab ortu ad occasum efficiebat. Sequitur postea scriptura, *in splendore fulgurantis hastæ tuæ*, scilicet per motum tardum ab occidente ad orientem: velocitatem nimirum sagittæ, tarditatem verò hastæ comparans. Quòd verò Angeli nomine Lucis, ac Splendoris donentur, sunt multæ Rabbinorum auctoritates. Iam verò non te latet, multos ex vestris Doctoribus velle, lucem

primo

primo die creationis à Deo creatam, fuiſſe angelos. Quòd autem ſagittæ nomine motus diurnus velox intelligi poſſit, per ſe patet: vulgò namque ſagittæ veloces appellari ſolent. Reperitur etiam in Gen. cap. 2. 14. ex fluminibus, ex paradiſo manantibus, tertium vocari Tigrim, iuxtà vulgatam, *nomen vero fluminis tertij Tigris*, &c. Curtius lib. 4. ſcribit, illi à celeritate, quâ defluit, Tigris nomen inditum eſſe: quia Perſicâ linguâ *Tigrim* Sagittam appellant. In textu verò Hæbraico appellatur hoc flumen *Chidèchel*, quod nomen Rabbini dicunt compoſitum eſſe ex duobus nominibus *Chàd kàl*; quæ propriè ſignificant *Acutum* & *Leuem*, vt eſt Sagitta. Vnchelos in Paraphraſi Caldaicâ appellat illud *Dighlad*, quaſi *Tigrad*: nomen forſitan ab illis Incolis corruptum: *Dàled* enim, ſcilicet D, in Caldæo, rectè pro *Tau*, ideſt T, in Hæbraico ſumitur: præter quam quòd in ipſa Hæbraica lingua, quibus characteribus ſcripta eſt Paraphraſis Caldaica, omnes literæ, quæ vnius pronunciationis ſunt, vna pro alterà commutatur: & *Daled*, *Ted*, *Tau* ſunt ex literis *Datlanòt*, quæ linguâ proferuntur; etiam *Tiglàd*, pro Tigràd ponetur: cum in Ieremia cap. 51. 37. reperiatur vbi in textu dicitur *Legalim*, in Caldæo verò *Legarìm*. Item Margarita à Rabbinis antiquis uocatur *Margalid*: forſan ipſi & Latini à Græco acceperunt: Rabbini autem R, in L, mutauerunt. Etiam Angelus Caninius in ſuo Helleniſmo Litera P, dicit, quod hæ literæ L, & R, in Græco, Latino, & etiã Italico inuicem commutantur: præter quàm quod hæ literæ ſunt liquidæ. Quòd autem *Làmed*, ſcilicet L, pro *Res* ideſt R, ponatur, id pronunciationis uitio factum fuiſſe exiſtimare poſſumus, ut in hac litera R, facilè cernitur, quam multi pronuntiationis uitio in L. vertunt. Sed quid opus eſt alias adduci probationes ſi

Rabbi

Rabbi Elia in ſuo Lexico in dictione, *Silsèl* dicit *apud Rabbinos legitur Salsèled pro Sarsèred quod Hæbraicum eſt. Nam Res & Làmed literæ ſunt permutabiles: ſicut eodem modo dicitur Mazaròd & Mazalòd; item Miſleſsè & Miſreſsè*. Neq; mirum eſt omnes illos incolas hoc vitio laboraſſe. Reperitur enim in lib. Iudicum cap. 12. 6. Euphratis incolas, *Sin* ideſt S, proferre non potuiſſe, ac pro *Siboled*, dixiſſe *Sziboled*, ex quo horrendum illud facinus accidit : idemque apud varias regiones in more poſitum videmus : fieri poteſt, vt habitatores illi circa Làmed, & Res laborauerint: & licèt etiam in eodem idiomate Caldæo ſagitta appelletur *Ghirà*; id fortaſſe factum eſt, quia hoc corruperunt, & addiderunt T. Vnchelos poſtea in Paraphraſi relinquit flumini nomen *Diglàd* cum additione huius literæ : iam enim notum erat ſub hoc nomine, ac ratione . Et forſitan tali de cauſâ in idiomate Caldæo Lis & Iurgium nomine *Tigrà* appellantur , ideſt propter litigantis celeritatem: quòd ſi ipſe ponderaret, ac conſideraret, abſque velocitate, quid ſit lis, & iurgium, profectò ſe abſtineret . Etiam Salomon in Prouerb. cap. 25. 8. dicit, *ne præferas in iurgio cito* . Ex quo inconueniens videtur, nimirum quòd re bene ponderatâ contendere liceat ; ſed inferre vult, quòd non ſit feſtinus, & velox in contentionibus: vt etiam cap. 15. 18. dicit, *vir iracundus prouocat rixas: qui patiens eſt, mitigat ſuſcitatas*. Etiam id *prouocat rixas* in textu Hæbraico dicit *Iegarè Madon*, in Caldæo (ſępæ namque ipſa vtitur ad ſcripturæ expoſitionem) ſignificare vult *rixam fulminabit*, ideſt ſolitâ ſuâ celeritate. Idem 29. 22. dicit, *vir iracundus rixas ſuſcitat: & qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccata procliuior* dicit idem *Iegarè Madòn*. Secunda verò verſûs pars dicit , *vbàhal chema rau paſszah* ferè ſicut *pasZah*, inferre

vult,

vult, quòd homo iracundus velocis est gressûs.

Tertio loco â me petis, cur huius sententiæ sim, scilicet vt existimem Iosuè totalem Solis immobilitatem, etiam motûs sui proprij, scilicet ab occasu in ortum, præcepisse? Cùm tibi videatur rationi magis conueniens, vt eum orientem versùs moueri sineret: cùm huiusmodi motus aptissimus ei ad diei productionem esset. Ex eo, quod mihi obijcis, sentio, verum esse illud, quòd asseris, nimirum tibi non fuisse otium mei operis considerandi: in ipso namque dico, quòd Iosue volebat, vt maneret aspectus, qui erat inter Solem, & Lunam, dum pugna in suos hostes durauit: & hac de causâ fuit necesse, vt orbis Lunæ consisteret, neque ab oriente ad occidentem (vt solet) moueretur. Hoc enim miraculum luminarium consistentiæ xxiv. horis durauit: & si Luna non fuisset immobilis, alio motu quàm diurno, huiusmodi horarum spatio ortum versùs circa tredecim gradus lata fuisset: ita vt aspectus tot horis non permansisset. Cumque tali de causà Lunæ immobilitatem præceperit; etiam Soli præcepit, ne inter illos differentiam constitueret. Posset etiam esse, vt aliquis acciderit partilis aspectus: ideoque noluit, vt de suo loco, in quo reperiebatur, Sol moueretur: & eo tempore Luna erat ferè proxima Soli, & etiam occidentalis, & Sol magis orientalis, & eadem proportione quadam in terrâ Gabaòn Aialòn. Dici potest præcepisse etiam Lunę ne moueretur, ne fortasse cum Sole coniungeretur, ac lumine eum priuaret, idest ecclypsaret: fortasse namque vni ex nodis, Capitis, vel Caudæ vicina fuit, & frustra de inimicorum insecutione cogitasset; ideò Lunæ immobilitatem præcepit.

Quòd verò miraculum horis xxiv. durauerit, eiusdem scripturæ auctoritate confirmo: & præsertim ex textu hæbraico,

braico, licèt enim latinorum verborum idem sensus esse videatur, *nox festinauit occumbere sicut spatio vnius diei*, intelligi posset dies artificialis; in textu tamē hæbraico apud nomen *Iom*, quod significat *diem*, est etiam nomen *Tamim*, quod *perfectum* significat, & dicitur *Cheion Tamim*: igitur necessariò intelligendum est id de die naturali. Et licèt dies naturalis sit integer æquinoctialis circuitus, ex xxiv. horis & etiam quatuor minutis circiter constās, propter motum proprium, quem Sol vno die facit; hìc defuerunt hæc quatuor minuta: Sol enim eo die fuit immobilis etiam ab occidente ad orientem; ita vt, quemadmodum dixi, durauerit vnius diei naturalis: idest horis spatio xxiv. quatuor minutis minus. Quis autem ignorat Ecclesiastici auctorem id intelligere voluisse, cum cap. 46. 5. de hac re agens dicit, *& vna dies facta est quasi duæ* & non dicit prorsus duæ.

Et præter ea, quæ diximus, credibilius est additionem diei fuisse potiùs ex xxiv. horis, quàm xii. Iosuè namque totā nocte ante prælium iter fecit. Dicitur enim ibi *Tota nocte ascendens de Galgalis*, igitur die aggressus est inimicos. Et licèt ex scripturā colligi non possit, quo nam tempore hostis cædes facta fuerit: neque quando Iosuè illos insequi cæperit; credēdum tamen est, id circa vesperas accidisse. Vt enim lux habere posset ad eos in sequendos, dixit *Sol cōtra Gabahòn ne mouearis*. Sol enim occidenti vicinus orientem versùs radios mittebat vsque Gabahon, vbi ille erat; non autem ad loca magis orientalia: & sequebatur eos orientem versùs; ita vt Sol in eo statu, in quo erat, sufficientem lucem ei reddebat; certum est, ipsum non præcepisse Soli, donec eius luce indiguerit, scilicet cum occidenti proximus esset. Etiam Ionadàn Ben Vzièl in Peri-

phrasi dicit v. 17. *Velo dachaK lemehal* &c. idest *occumbere non properauit* &c. infert, quòd erat Horizonti proximus: aspectui namque nostro terra vbique videtur cælum pertingere, & quod Sol occidens in eum locum angustum, se conijcit. Dum pariter dicitur in Hæbraico, & etiam in vulgatà, *& non festinauit occũbere*, ostenditur, eum Horizonti proximum fuisse: ibi enim motus eius velocior, quàm alibi videtur. Argues fortasse ex eo, quòd in eâ vulgata dicitur, *stetit itaque* Sol *in medio cæli*, ergo in Meridiano potiùs videtur fuisse, & non prope occidentem, vt ipse dico . Ad quod respondebo, quod in dicta Caldaica dicitur *Vecam bepalgu semaia*, idest *in medio cæli stetit*, inferre volens, illum in media cæli parte constitisse , quæ supra Horizontem cernitur: & quidem in textu hebraico dicitur *Bachaci Hassamaim*: P*adach* vero sub *Bed Bachaci*, medietatem noctis significat, vt patet in Grammaticis vel mediocriter versato: & inferre vult per ea uerba, nobis nota, eam partem, quæ supra horizontem uidetur. Etiam Auctor Arcæ Noè Ionadan uestigia sequitur : cùm etiam ipsa declaret, *stetit itaque Sol in dimidio cæli*. Pariter sensus uulgatæ, quæ dicit, I*n medio cæli*, intelligitur pro cæli medietate, quæ est supra horizontem: & fortasse dicit *in medio* & non in *medietate* , ad declarandum illum in medio cælorum septem planetarum, ubi Sol in medio locatur, constitisse: ac si innuere uelit cælum inferius, & etiam superius eo, & sibi proximum, consuetos motus secutos fuisse. Et dicit *in medio cæli*, in singulari, & non in medio cælorum, ut duo modi à me expositi intelligantur. Cùmque cæli ita sint contingui, ut vnum tantùm uideantur, possunt etiam in singulari nominari. Et si diceret in medio cælorum nulla clarior, neque melior expositio haberetur.

Verùm,

Verùm, ut ad rem redeamus, Iosuè expulit, & prosecutus est inimicos eo die à Gabaòn vsque Bedchoròn, & Hazecha vsque Macheda, quod ibi in sacrâ historiâ clarè perspicitur: hoc autem iter est milliarium Italicorum lxxv. vt in Geographiâ Iacob Zadich: & tam longum iter exercitum alium persequentem, percutientem, & occidentem fecisse, non parum est: præcipuè cum diei reliquum pugnauerit, & etiam totam noctem iter fecerit. Quòd si in medio cęli in meridiano dicere velit; nō breue etiam esset iter, xxx. horarum spatio lxxv. miliaria conficere.

Additur quod perpendens ego in opere verbum *Dom*, illudque declarans in sensu immobilitatis, vt ibi dico, intelligitur quòd ambo Luminaria ab vtroque motu cessauerint. Quòd si etiam verbum *Dom* pro *tacere* vsurpare voluerimus; idem significabit: id autem optimè intelligetur ex eo, quòd primum dicitur, quod Angeli laudant Deum actionibus, quas eis iubet, vt Rabbini Antiqui, & etiam vestri Doctores volunt: ideoque Doctissimus Aquinas dicit, in tertio contra gentes, cap. 17. in fine, quòd Angeli rerum inferiorum gubernationi à Deo præfecti fuerunt. Hinc est, quod in Psalm. dicitur, *Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius qui facitis voluntatem eius*. Cùm igitur Iosue Soli & Lunæ, idest angelis eorum moderatoribus, præceperit per hoc verbum *Dom*, vt tacerent; quis negabit, eum illis præcipisse vt consisterent, scilicet, vt ab eâ cessarent operatione, qua sibi à Deo comissa, laudes formare solent, nimirum orbes mouendo. Et licèt in eo, quod postea Lunæ accidit, eodem vocabulo *Dom* scriptura nō vtatur, vt in eo, quod Soli cōtigit, sed verbo *Hamàd*; non tamen intelligendum est id aliter euenisse. Verbum enim *Hamàd* duo pariter significat, atque eadem, quæ ver-

bum *Dom*: scilicet *consistere*, & *tacere*: vt in Iob.cap.32.16.

De laudationibus autem, quas Deo Angeli tribuunt propter actiones sibi à Deo commissas, loquitur Dauid in Psal. 148. (vt opinor) vbi dicit *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis &c.* & hic Psal. diuiditur in duas partes: quarum prima de rebus creatis superioribus; secũda verò de inferioribus agit. Secunda item pars in duas diuiditur: quarum altera de irrationabilibus, vegetatiuis, & inanimatis; altera verò de ratione prædijs tantùm agit. In primâ dicitur, *Laudate eum omnes Angeli eius*, quibus alludit Dan.cap.7.10. vbi dicit, *millia millium ministrabant ei, & decies millies centena assistebant ei*; Postea sequitur. *Laudate omnes virtutes eius*: quæ verba communiter interpretantur exercitus sui: de quibus dicit Iob cap.25.3. *nunquid est numerus militum eius?* Addit deinde, *Laudate eum Sol & Luna &c.* cum Angelo, eorum orbis ductore loquens: vt etiam cum dicit, *Laudate eum Cœli Cœlorum*, cum angelo primi mobilis motore, à quo cæteri pendent cœli, loquitur. Et loquens de intelligentijs orbium dicit postea, *Præceptum posuit & non præteribit*, idest Angelus cuiuscunque orbis non præteribit: ita enim in multis scripturæ locis agentem non nominat: & præcipuè in Gen. cap.48 v.1. ac 2. in primo dicitur, *Dixitque ad Ioseph*, neque nominat illum, qui dicit: licèt vulgata (sequens fortasse sensum) dicat, *Nunciatum est Ioseph*: in secundo dicitur. *Et nunciauit Iacob*; & non dicit illum, qui nunciauit: vbi tamen vulgata facit, *Dictumque est seni.*

In secundâ parte Psalm. dicti, primo dicitur, quòd eum laudare debent Angeli gubernatores specierum irrationabilium, vegetabilium, etiamque inanimatarum: deinde dicendo *Reges terræ &c.* loquitur cum ipsis hominibus, & nõ

cum

cum Angelis eorum, præcipiens omnibus hominibus, vt Deum laudent: sed in fine sententiam claudit, & dicit, *Et exaltauit cornu populi: sui hymnus omnnibus sanctis eius &c.* cum laudationes horum ferè congruant cum illâ, quam diximus angelis conuenire. Notandum est autem (quod etiam supradicta magis confirmabit) quòd in primâ parte huius Psal. Psaltes inuitatis superioribus ad laudem Dei verbis, *Laudate Dominum de cælis*; præscribit illis locum (vt ita dicam) in quo talis laus futura erat, illis verbis *Laudate eum in excelsis*: idem autem non facit in secundâ parte, vbi ad laudes Dei excitat inferiores; sed solum inuitat eos illis verbis *Laudate Dominum de terra*, nullo præscripto ad laudandum loco. Id autem factum est, quia in eâ laude, quæ à superioribus formanda erat, rectè quidem excogitari potuisset in cælis eam fieri debere: laudatores enim Intelligentiæ & Angeli esse debebāt. Verùm, si ad inferiores spectemus, peculiarem illis locum assignare non poterimus: partem enim laudis ab hominibus in terrâ, partem verò ab angelis aliarum specierum, & inferiorum in cælo curatoribus proficisci quis non videt?

Quarto loco arguis, quòd Propheta Iesaias Regi Ezechiæ dicit decem gradibus vmbram ascendisse: cùm id verisimile non videatur, sed pauciori tempore id accidisse. Mihi etiam dicis, tibi absurdum videri, quod Propheta vel minimum à veritate aberrauerit. Cui respondeo nihil esse noui in sacrâ scripturâ dicere id, quod primâ facie homini verum videtur; ita reperitur in secundo Paralip. 4. 2. *Mare etiam æneum vsque ad labium rotundum per circuitum quinque cubitos habebat altitudinis: & funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum eius*; Attamen quiuis in Mathematicis tyro scit, quòd si circumferentia fuerit triginta cubitorum

torum,diameter decem cubitis erat minor : & si diameter fuit decem cubitorum,circumferentia necessario xxx. cubitis fuit maior. Scriptura verò vt plurimum ad captum legentium se accomodat.

Postremò arguis super illud, quod dixi,regressum scilicet Solis in Ezechia solum duobus vnius horæ tertijs durasse, idque auctoritate, atque expositione Ionadan Ben Vziel (cuius quidem auctoritas plurimi apud nos est) qui dicit decem horas regressum eius durasse. Respondeo quod ipse dicit *Hèscer sahìn*. *Sahìn* autem tempora significat,& non horas. Verùm quidem est, quòd cùm hora sit temporis mensura quædam,appellatur *Sahà*:sed hoc nō est proprium horæ nomen : & pro decem temporibus intelliges decem gradus,qui sunt ferè duæ tertiæ vnius horæ, vt in opere.

Quod est denique me requiris, quid de ortu Ezechiæ Regis sentiam, nimirum de anno eius natiuitatis : dico meam sententiam esse, eum natum fuisse annis 3193. post Mundi creationem. Idest,

1056. Annis post creatione mortuus est Noè : quod quidem ex sacrâ Scripturâ apertè constat.

502. Annos habebat Noè, cùm natus est eidem eius filius,vt inferiùs probabo.

390. Anni intercesserunt ab ortu Sem,vsque dum Terach pater Abraham septuaginta haberet annos, quod apertè ex scriptura colligitur:& eo tempore natus est Abraham,vt in hac meas probationes tibi adducam.

290. Annis post ortum Abraham Iacob in Ægyptum profectus est,vt ex textu patet.

210. Annis in Ægypto populus Hebræus stetit;id Rabbini Antiqui scribunt:& in Libro in scripto *Zeder Holam*

eius

eius rei probationes veræ videri possunt.

480. Annis post exitum de Ægypto Rex Salomon Templum ædificauit, vt in 3. lib. Reg. cap. 7.

36. Annis post mortuus est Salomon vt ex eodem Lib. Reg.

154. Anni fluxerunt, vsque ad coronationem Regis nostri Ezechiæ, vt in 3. & 4. lib. Regum: qui anni simul additi, sunt 3218. ex quibus si 25. annos, quo ipse Rex Ezechias habebat, cùm regnare cępit, detrahas, supererunt 3193. qui sunt anni lapsi à Mundi creatione vsque ad Ezechiæ ortum, vt dixi.

Ad probandum autem, Sem ortum fuisse, cùm suus pater Noe 502. esset annorum, adducam textum Gen. cap. 6. v. 1. vbi dicit, *Et fuit Noè quingentorum annorum, & genuit Noè, Sem, Cham, & Iaphed.* Et per verbum *genuit* significatur, & intelligitur tempus ortus, & conceptionis. Hîc autem quærendum est, an Noē cœperit habere filios, cùm quingentos annos natus esset; vel si eo tempore iam tres filios habuerit. Cui respondeo, illum eo tempore habere eos cæpisse; id verò non solum ex dicendi modo ipsius Scripturæ colligitur, quæ aliter de Noè, ac de primis loquitur antecessoribus; sed etiam propter accentus: quorum multi ad eius intelligentiam non secundùm quid, sed simpliciter necessarij sunt: vt ex eo, quod super hac re in nostris Grammaticis dico, tibi patere potest. In antecessoribus Noè dicit scriptura *& vixit N. tot annis, & genuit N.* idest natus est ei filius. Verum de Noè dicit, *& fuit Noè ætatis quingentorum annorum, & genuit Noè, Sem, Cham, & Iaphed.* Primùm loquendi rationem mutat, vt patet: deinde iterum addit Noè: id autem facit, vt diuisionem ponat inter verbum *Vaioled,* (quod ipsum esse causam partûs, tan-

quam

quam agentem significat, quod communiter omnes interpretatur *& genuit*) & inter nomina trium filiorum, vt intelligatur, *& genuit Noè*, idest cæpit habere filios : deinde eosdem natos. Quòd si secundò nomen Noè non adesset, diceret & genuit Sem, Cham, & Iaphed, & intelligeretur ipsum post quingentos annos habuisse hos tres filios: ideo diuidit cum secundo Noè. Dici tamen potest, quòd Scriptura nomen Noè iterum addit, dicens, *& genuit Noè*, vt nobis declaret, ipsum solum, cùm quingentorum esset annorũ, nõ autẽ alios gignere incępisse: cũ in Scripturâ reperiatur alius nemo præter Methusalem ætate 185. annorum generare incæpisse: Omnes autem alios minoris longè ætatis. Dicerem Noè, sterilem fuisse; postea verò quingentesimum annum agentem miraculosè fœcundatum fuisse: ideo dicit *& genuit Noè* tamquam quid miraculosum. Cùm enim Deus propter hominum scelera Mundum inundatione diluuij perdere ac delere statuisset neque alium, præter Noè, suâ dignnm gratia reperiret, ne mundus omnino ad nihilum redigeretur, genusque humanum penitus deleretur, fertilitatem Noè concessit. Et Scriptura hæc duo mirabilia refert, videlicet quendam generare cæpisse quingentos annos natum, & Noè qui erat sterilis, generasse. Neque credendum est, Scripturam ore Dei dictam, fortuitis verbis ac superuacaneis vti. Et hæc mea sententia confirmatur propter accentus : quoniam super hunc secundum Noè est accentus grammaticalis Z*akèf* K*atàn*, qui instar pũcti & comatis in Latino sermone se habet: ergo cũ dicatur, *& genuit Noè* cũ pũcto, & cõmate; significatur, eum hoc tempore habere filios incępisse: posteaque nominat filios, quos progressu temporis habuit. Prætereà cap. 11. v. 10. apertè probatur, Sem ortum fuisse, cùm Pater ipsius

quin-

quingentesimum secundum ageret annum. Et quamuis semper in primo loco nominatur; id fit quia ipse cæteros fratres dignitate antecelluit: ab ipso enim descendit Abraham & sua posteritas. Dicitur ergo: *Hæ sunt generationes Sem. Sem erat centum annorum, cùm genuit Arpachsâd biennium post diluuium*: & diluuium incæpit cùm Noe sexcentorum esset annorum, vt cap. 7. 6. Quòd si Sem post diluuium centesimum agebat annum; ergo, cùm ortus est, ipsius pater duos, & quingentos annos habebat. Sed quia aliquis posset dicere, quod Arpachsâd natus sit biennium post finem diluuij: & quòd ipsum diluuium vno anno durauerit; idest omni tempore, quo Noe in Arca fuit: & si ita esset, Sem natus fuisset, cùm ipsius Pater tres & quingentos habuisset annos, quoniam habuit sexcentos, cum diluuium incepit, ideo cogor probare quòd diluuiũ ipsum non durauerit vltra quadraginta dies, etsi ipse toto integro anno in Arca fuerit: quare licet Arpachsâd ortus fuisset bienio post finem diluuij; non tamen esset alia differentia, nisi quadraginta dierum, quod verisimile non videtur.

Hebraice diluuium vocatur *Mabùl*: & Rabbi Salomon Auenmelech scribit in suo *Michlol Iofi*. *Mabul* esse nomen magis commune, seu appellatiuum; *Hessem* verò, idest pluuiam, proprium. Ideò *Mabul* appellari potest omne, quod è cælo cadit, vt nix, ignis, grando, cùm abunde cadunt. Etiam Rabbi Dauid Kimchi scribit, quod *Mabul* pluuiam vehementem significare vult: & ex Scripturâ habetur, quòd diluuium & pluuia 40. dies durauit, vt cap. 7. vers. 12. & 17.

Nolo Te quandam meam sententiam celare, quæ quidem argumentum quoddam in Scripturam resoluere posset: nimirum dicendo, quod Arpachsâd natus fuit secun-

do post diluuium anno; lector considerare cogitur quantum *Mabul* durauerit: debebat dicere ipsum natum fuisse, cum Noe 602. esset annorum: vel in aliquo superiorum locorum dicere, Sem natum fuisse, cùm Noe quingentesimum secundum annum ageret: & absque alijs considerationibus veram claramque haberemus Chronologiam. Sed meâ quidem sententiâ huiusmodi resoluetur dubium, si priùs alia difficultas, quæ de eadem re in Scriptura reperitur, enodetur. In præcepto, quod Deus Noe dedit cap. 6.18. *& ingredieris Arcam tu, filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum*. Nominantur masculi separatim à fœminis, & hoc ordine recenset ingressum in Arcam, vt cap. 7. v. 7. Deinde cùm Deus ei iussit, ut ex ea egrederetur, dicit cap. 8. 16. *egredere de arca tu, vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum*, coniunctim viri ac vxores nominantur. Sed cùm vere egressus est, dicit v. 18. *egressus est Noè filij eius, vxor illius, vxores filiorum eius cum eo*: denuo nominat masculos seperatim à fœminis, iuxtà ordinẽ ingressus: quare considerabilis est hæc vnio, & hæc disiunctio. Rabbini autem Antiqui dicunt interdictam fuisse Noe, & filijs suis carnalem copulam cum suis vxoribus toto eo tempore, quo in Arca fuerunt: qua lege postea soluti sunt, cùm ex ea egressi fuerunt, & huic ingressui applicant ipsi Rabbini disiunctionem, vnionemque egressui. Pulcherrima quidem expositio, ad vitæ institutionem apprimè faciens: quòd nimirum, dum orbis terrarum grauibus vexatur malis, turpe est homines genio ventrique indulgere. Etiam apud Ioseph dicitur in Gen. cap. 41. 50. *natique sunt Ioseph filij duo antequam veniret fames*: quod à Scriptura tempus dici natalis ipsorum dicitur; vt nobis ostendat, quòd cùm fame alijsque malis mundus laborare

cæpit,

cæpit, ab ipsâ vxore abstinuit. Considerandum superest, qua de causa, Noe cum vere exiret ex Arca, viri separatim à fęminis egressi fuerint, etiam si Deus vnionem eis concessisset: ex qua consequenter permissionem vsus carnalis intelligendam dixi. Cui dicam, Noe, qui erat vir iustus & perfectus, licet ei concessam, noluit tamen carnalem copulam adhibere, neque filijs etiam id permittere, donec Deo gratias non egisset holocaustis omnium quadrupedum & volucrum mundorum vt cap. 8. 10. sed posteaquam ea celebrauit, Deoque accepta fuerunt, vt cap. 9. v. 5: *Benedixitque* Deus *Noe, & filijs eius, & dixit ad eos, crescite, & replete terram*: & postremo in v. 7. eis præcepit dicens, *vos autem crescite & multiplicamini, & ingredimini super terram, & implete eam*: habuerunt carnalem copulam. Et ut ubique hæc à nobis intelligantur, Sacra Historia dicit, Arpachsad ortum esse biennio post diluuium: ideo in Arcâ XII. mensibus lunaribus, & X. diebus commorati fuerunt, ut cap. 7. 11. & 8. 14. quod est annus solaris: postea sacrificauit, & tanta hostiarum multitudo longum tempus requirebat: tempus uerò sacrificiorum, tempori additum grauiditatis, alterum annum constituebat: ecce biennium post diluuium, à quo intelligitur, Noe habuisse duos, & quingentos annos, cùm natus est ei Sem.

Verùm ut ad Abraham transeamus, quem dixi, natum esse, dum suus pater haberet septuaginta annos; hoc probo ex scriptura, quæ cap. 11. 26. dicit, *Vixitq; Terach, septuaginta annis & genuit Abraham; Nahor, & Haran*: nominat Abraham in primo loco, ergo ipse fuit senior fratribus; & natus est cum Terach 70. annos habebat. Aliquis posset dicere, non fuisse Abraham maiorem natu inter fratres; sed propter suam nobilitatem primo loco no-

minari ; & Chronologiam extrahi ab ipso, quod in Gen. cap. 12.4. dicitur, *septuaginta quinque annorum erat Abraham, cùm egredetur de Charàn*; & post mortem patris eius illinc egressum fuisse; ergo iuxta hoc haberetur, ipsum natum esse, cùm suus Parens 130. haberet annos. Sed Rabbi Moyses Bar Nachman dictus Ramban scribit in suo commento super Pentateuc. Abraham etiam maiorem natu fuisse: ipsumque, & Nachor in Etiere Hanahar ortos fuisse; & illinc Terach patrem ipsorum discessisse, ac in Vr Caldæorum cum Abraham venisse, Nachor in Patria relicto. Et ego credo, Nachor Auum suum, adhuc viuentem, ipsum ibi retinuisse, præsertim cùm eum magis, quàm cæteros fratres, amaret quoniam eodem nomine vocaretur. Dictus Ramban addit, quod postea in Vr Caldæorum ortus est Haran: & post mortem ipsius Haran Therach, cum Abraham, & Lot in Charan, suam regionem rediit: & inde iussu Dei Abraham discessit, & in terram Kenahan, cùm Therach 145. annos haberet, iuit. Etiam resoluit id quod in cap. 15. 7. dicitur, *Dixitque ad eum, ego Dominus, qui eduxi te de Vr Caldæorum*: ex quo videtur, Deum, vt ad terram Kenahan ex Vr Chaldæorum iret, ei præcipisse: quæ omnia in suo Commento, vbi fuse loquitur, videre poteris. Verùm meâ quidem sententiâ, dici potest, quod Deus ei dixit, *eduxi te de Vr Caldæorum*, licèt præceptum reuera non fuerit in eo loco, sed solùm in Charan; fortè quia sua Diuina Majestas Therach inspirauit, vt de Vr Chaldæorum exiret; ideo dicit, quòd eduxit eum de eo loco: & ibi noluit expresśè Abraham præcipere; sed quidem in Charan loco suorum antenatorum, vt magis eum dignum redderet: qui licèt in patrio solo esset; diurnum tamen præceptum amori Patriæ anteposuit, & discessit. Rabbi Abraham

ham Auene zdra, alijque Rabbini in eandem sententiam concurrunt, Abraham nimirum ortum fuisse, cum pater suus septuagesimum ageret annum. Addit ipse, si verum esset Abraham post mortem sui patris de Charan exijsse, & quod per Chronologiam in Scripturâ dicitur, ipsum eo tempore 75. habuisse annos; Historia apertè dicere debebat, *& fuit post mortem Therach, dixitque Dominus ad Abraham &c.* vt alibi reperitur in Gen. 15. 22. 25. 29. 39. 40 48. & alijs in locis: & ita tempus ortus eius nobis constaret. Et licèt nobis declaret præceptum Dei, & exitum Abraham, postquam mortem Therach descripsit ; non tamen ob id probatur rem eo modo iuxtà temporum seriem se habuisse: Scriptura namque de rebus Therach loquens, easque breuiter perstringere volens; finem eis imponit, etiam eius obitum narrans, deinde Abraham historiam incipit. Et hic Sacræ est Scripturę stylus multis in locis: quemadmodum in omnibus prædecessoribus Abraham, nimirum quòd priùs res gestæ Patrum, & eorum obitus ; deinde filiorum accidentia, quamuis viuentibus adhuc patribus accidissent, narrantur: ita in cap. 28. *& egressus est Iacob de Beer Seua, & pergit Charan*: & id dicitur postquam dixit, quod Hesau filiam Ismaël vxorem duxit; licèt exitus Iacob priùs acciderit. Et insuper, si verùm esset, quod Abraham ortus esset, cùm ipsius Pater 130. annos haberet; superuacaneum esset Scripturam dicere, quòd Therach 70. annos natus habere filios incæperit: cùm ad rem Historiæ non sit, sed potiùs confusio in Chronologiâ. Probandum est etiam, quòd Abrahami pater viuebat, cum Deus, vt de Charan discederet, ei præcepit: quod satis commodè ex Scriptura deducitur, vt ad Abraham cap. 12. 1. dicitur, *egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris*

tui.

tui. In quo præcepto tres modi dicendi notabiles sunt, nimirum *de terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui*: igitur *de terra tua*, idem erit, ac de regione tua, vbi etiam prædecessores Abraham habitabant, & descendentes à Sem, vt in Gen. cap. 10. 30. dicitur: *de cognatione tua*, idest ex qua natus es: & inferre volet, quòd Abraham in ea regione ortus est, sicut vult Ramban: & tandem dicere *de domo patris tui* (quod quidem superfluum esset) significat, vt ego existimo, quòd eius pater viueret: & quòd à Deo nominaretur ei, vt maioris meriti gratia dignus esset, dum molestiam, qua propter discessum (proprium Patrem deserere debens) afficiebatur, superaret: eòque magis, quò libentius ea munia & officia, quæ filij Patribus præstare debent, obibat. Sed fortassis mihi dices, quòd iuxtà meam opinionem, quòd Chronologia eliciatur ex dicto scripturæ cap. 11. 26. superfluum quoque erit dicere, quòd 75. erat annorum, cum de Charan egrederetur. Ad quod respondeo, id à Scriptura summo iure dici: idest, vt insinuaret nobis quam deberemus in exequẽdis Dei mandatis soliciti esse. Inuenimus quòd cùm Abraham de Vr Chaldęorum vnà cum Patre absque diuino præcepto, vt in terram Kenahan iret, discessit; non statim iuit, sed in itinere moram traxit, & in Charan præcipuè: Verùm cùm postea à Deo ei discedere de Charan præceptum fuit; certè vti debebat celeritate, & ostendere suam prontitudinem, nullamq; in itinere mandato Dei quietem interponere: quod quidem exactè ab ipso seruatum fuisse, scriptura nobis ostendit, dicens, ipsum, cum de Charan exiuit, 75 habuisse annos: eadem enim scriptura nobis asserit cap. 16. 3. quòd Abraham duxit Hagar 10. annis postquam in Charan fuit. Ibidem in fine cap. quod cùm esset 86. annorum natus est

ei Ismaël:

ei Ismaël : ex quo deducitur nullam moram interpositam fuisse, vt ita dicam, inter præceptum, & executionem. Etiam cap. 12. 5. dicitur, *& egressi sunt, vt irent in terram Kenahan & venerunt in terram Kenahan*: ac si apertè diceret, illos eò venisse absque vllâ prorsus morâ.

Et quamuis in cap. 13. 8. dicitur Abraham dixisse Lot *Anaßim Achim Kanachnu* communiter hoc interpretatur, *Fratres enim sumus*, non ideo tamen sequitur ipsos æquales ætate, vel paucâ differentiam inter ipsos fuisse, ex qua deduci posit, Haran patrem Lot, priùs quàm Abraham, ortum esse : quia hoc nomen *Achim* hìc intelligitur pro consanguineis: & sic declaratur à Rabbi Salomone dicto Raßi commentatore præcipuo, etiamque ab alijs. Hoc nomen sæpe etiam inuenitur apud Iacob in cap. 31. & ibi necessario illud declarare conuenit in sensu cõsanguineorum: quia Iacob alium fratrem, nisi Esau, non habebat, qui eo etiam tempore aberat.

Verùm etiam si paucam annorum differentiam inter eos fuisse inueniretur; non tamen obstaret id, quod dixi: cùm esse poßit quòd, cùm Abraham 75. habebat annos, Lot 63. habuerit, ergo fratres appellari poterant: quare diceretur Haran, Parentem Lot, annum post Abraham ortum esse : & sic Lot anno vndecimo patris ipsius Haran natus esset. Nec mirum est, eum vndecimum annum agentem filium habuisse; cùm inueniamus etiam nostrum Regẽ Ezechiam natum fuisse, dum ipsius Pater eiusdem esset ætatis: & multo facilius hoc poterat accidere in ætate Abrahami, in qua viri multo vegetiores erant. Et forsan hac de causâ Haran adolescens mortuus est, cùm adolescentiæ vires nimis tempestiuè cępit insumere. Sic etiam Achaz Ezechiæ pater ætatis 36. annorum mortuus est, fortasse ob

eam-

eamdem causam. Additur quod omnes Rabbini Antiqui, etiamque Moderni eiusdem fuerunt opinionis, scilicet Abraham natum fuisse ex patre septuagenario : imò adeo certam hanc habuerunt, & in ea probanda nihil laborauerint.

Iam verò tuis literis me satis respondisse arbitror : quibus etiam multa forsan extra rem adiunxi; quoniam quæcunque ad Sacræ Scripturæ intelligētiam pertinent Tibi gratissima esse certò scio. Si autem acciderit, vt operę meę Tibi alijs in rebus vsus esse possit, velim ea liberè vtaris. Hoc enim profectò nihil mihi gratius efficere poteris.

FINIS.